DISQUISITIO HISTORICO-THEOLOGICA,

EXHIBENS

J. CALVINI ET J. À LASCO

DE ECCLESIA SENTENTIARUM

INTER SE COMPOSITIONEM.

DISQUISITIO HISTORICO-THEOLOGICA,

EXHIBENS

JOANNIS CALVINI ET JOANNIS À LASCO
DE ECCLESIA SENTENTIARUM
INTER SE COMPOSITIONEM,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

P. L. RIJKE,

MATH. MAG., PHIL. NAT. DOCT., IN FAC. DISC. MATH. ET PHYS. PROF. ORD.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

ABRAHAMUS KUYPER,

Masoslusanus,

DIE XX MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCCLXII, HORA III.

HAGAE COMITUM
APUD MARTINUM NYHOFF.

AMSTELODAMI
APUD FREDERICUM MULLER.

MDCCCLXII.

LUGD.-BAT., EX TYPOGRAPHEO J. C. DRABBE.

Parentibus Optimis Carissimis.

In animo mihi fuerat disquisitione de Joännis à Lasco vita conscribenda summos in Theologia honores petere. Dupléx tamen causa fuit, cur a proposito destiterim. Gravissimo sc. morbo quum per decem continuos menses studiis essem ereptus, ne cursum academicum ultra septennium extenderem, vitae ratio dissuadebat; et iterum iterumque praeterea animo propositum volventi, mox persuasum mihi erat, Lasci biographiam in tam brevi temporis spatio rite absolvi nullo modo posse. Idcirco exoptatissimum mihi evenit, quod bibliopolae, in titulo huius opusculi annotati, viri ceteroquin de re litteraria haud uno nomine meriti, Lasci biographiae editionem curare se velle declaraverunt, si et opuscula ipsius iterum publici iuris facere, et Ecclesiarum sub cruce historiam enarrare essem paratus 1). *Rogavi igitur nobilissimum Theologorum Groninganorum Ordinem, ut liceret mihi, commentationis, quam ante hos duos annos in certamen litterarium iis miseram, partem primam, nonnihil hic illic, ut spero, emendatam, ad summos in Theologia honores capessendos, prelo submittere. Humanissimi viri, quorum iudicii aequitatem in certamine litterario, promptam benevolentiam et summam comitatem semper dehinc laete eram expertus, hoc quoque beneficium in me conferre non dedignati sunt, bonis imo votis consilium meum prosecuti. Accipite Viri Clar.! grati animi testificationem, quam ex intimo pectore vobis offero. Utinam, qua hucusque in me fuistis benevolentia, manere velitis, mihique licitum sit etiam in posterum ad vestra confugere consilia!*

Leidensium Theologorum Ordini magis etiam me indebitum esse, inprimis Viro Cl. S c h o l t e n, *Promotori aestumatissimo, in intimo corde persentisco, idque palam nunc profitens, pio fungor officio. Vos omnes Viri Cl.!, nec minus Tu Cl.* v a n H e n g e l! *pro eximia vestra institutione, qua per quadriennium uti mihi licuit, magis etiam pro egregia, qua me excepistis semper comitate, ut et pro summa liberalitate, qua vestrarum bibliothecarum copiam mihi fecistis, candidas accipite gratias, et eundem, quem semper erga me habuistis, in posterum quoque servetis, animum. Deus O. M. diutissime vos servet incolumes in disciplinae nostrae et Ecclesiae decus ac ornamentum!*

Nec minus praeclare de me meruerunt Litterarum Humaniorum Professores, quorum scolis per triennium interesse mihi contigit, quos omnes, Te imprimis, Celeberrime C o b e t!, *optimos semper gratissimosque habui ma-*

---

1) *Primum duobus voluminibus Lasci opera prodibunt, quibus quantocius addetur tertium vitam ipsius, latino sermone conscriptam, continens. Historia Ecclesiarum sub Cruce, belgico sermone enarranda, uno volumine absolvetur. Iam nunc hanc editionem annuntiare magnopere meâ referre videbatur, quod simul omnes litterarum humaniorum bonarumque artium fautores, si forsan Lasci epistolae, sive opuscula, sive vitae ipsius notitiae, nondum pervulgatae, iis innotuissent, ut benevolenter haec ommia mecum communicent, rogatos esse velim.*

gistros, qui ad scolas Theologicas me praepararent. Quodsi vehementer grati animi impetus Te quoque nominatim compellare me impellit, Clarissime, imo et Carissime de Vries!, cur tamen reticere malim, quam multis exquisitisque et magniloquis uti verbis in animi mei erga Te sententia testificanda, melius Tu intelliges, quam ego dicam. Nec quid Patri meo debeam filius, palam verbis eloquar. Gratias, dilectissime studiorum meorum dux ac patrone! sinceras accipe gratias! et sine me venerationem meam atque observantiam, qua Te hucusque prosecutus sum, et vero prosequar, quamdiu vivam, Tibi probare, quemadmodum tuum Tu ostendisti amorem, non verbis sed factis.

Vos quoque audire mihi licuisse, Cl. Verdam, Kaiser et Rijke, est, quod summopere gaudeo. Accipite omnes hanc qualencunque grati animi testificationem.

Vos denique appello, Clarissimi de Wal et Moll!, vosque omnes, quotquot in commentatione mea conscribenda consilio vestro mihi afuistis, et summa liberalitate copiosam et pretiosam supellectilem, quaquaversum dispersam, undique comiter et prompta semper benevolentia comparabilem mihi praebuistis; qui quo magis mihi profuistis, eo magis quoque nominatim vos compellare me iuvat. Vos volo Cl. Pluygers et Tideman, Doct. Bodel Nyenhuis, Vir plurimum Venerande Sepp, Consultissime Mazel, qui sub Regis ministro patriae res extraneas curas, Doct. Campbell, Bibliothecae Hayanae Regiae praefecte, et Te inprimis Venerabilis Senex de Vries!, apud Teleiobaptistas Harlemenses sacrorum olim antistes; nisi tua bibliotheca mihi adeo liberaliter patuisset, haud unum e Lasci opusculis etiamnunc desiderarem, commentationem meam conscribere certe potuissem numquam. Pariter vobis quoque gratias ago habeoque quam maximas Viri Humanissimi! qui ultra patriae fines studiorum meorum patroni exstitistis ac fautores, Cl. Jacobson, in Academia Regio-mont. Prof. Ord., Doct. Laurent, Bibl. Hamb. praeposite, et Doct. Traviranus, Eccl. Brem. Scto Martino dicatae pastor! Nec vestrorum erga me beneficiorum memoriam unquam delebit dies, Plurimum Venerandi Hesse et Viëtor, apud Reformatos Embdanos sacrorum antistites, et Doct. Böhmer, inclytae urbis Francofurti ad Moenum Senator Consultissime! Inprimis autem Tibi Cl. Reuss, in Academia Argentoratensi Professor Ord., candidissimas ex intimo pectore refero gratias, qui non tantum bibliothecae tuae thesaurum summa liberalitate mihi aperuisti, et consilio monitisque mihi defuisti numquam, sed etiam in consuetudinem et familiaritatem me recipere dignatus es. Quorum omnium quo dulcior mihi recordatio, eo ardentius ex intimo pectore hoc nuncupo votum, ut Deus O. M. Vos omnes diutissime salvos conservet atque incolumes, eademque Vos, Viri Humanissimi! me benevolentia prosequi pergatis, qua ad hunc usque diem studiis meis favistis!

Vos denique Commilitones! valete! Amicissimi! ne respublica disiectis utatur et Ecclesia, quos Academia nutrivit coniunctos!

Scrib. Leidae d. XV m. Septembris MDCCCLXII.

CONSPECTUS.

Erratum. p. 85 pro Cap. §. 1. Cap. IV. § 5.

INTROITUS.

Nostri saeculi homines ab Ecclesiae communione proavis nostris longe aversiores esse, unusquisque facile concedet, qui paullum accuratius nostri temporis historiam observare velit. Falli tamen mihi videntur, qui hinc Hegelii systemati philosophico fundamentum substrui posse opinati, revera actum esse de Ecclesia clamitant, et irritos esse eorum conatus habendos, qui semirutum Ecclesiae aedificium restaurare studeant [1]). Fecit hoc inter alios Rothe, qui, quamvis a Hegelio longe diversis principiis sententiam suam superstruens, in hoc tamen egregie cum eo conspirat, quod Ecclesiam olim interituram esse censeat, simulatque respublica perfectam sui notionem assecuta sit, et simul huius dissolutionis indicia non tantum in eo observanda esse arbitratur, quod nostro demum tempore communio Ecclesiastica tam ingens ceperit damnum, sed vero iam a Reformationis inde tempore Ecclesiae notionem in suammet ipsius dissolutionem versisse existimat [2]). Ecclesia, qualis hodie etiam a plerisque intelligitur, firmiter veteri dualismo res divinas inter atque humanas innitur, et quemadmodum in ceteris omnibus aetas nostra dualismum illum in dies magis superare studet, sic quoque Ecclesiae notioni maligne invideat necesse est, quae in sua ad res mundanas relatione tenaciter, si quid aliud, vetusto er-

---

1) Cf. e. g. STRAUSS, *die Chr. Glaubenslehre* II, 620 sqq.

2) Cf. ROTHE, *theologische Ethik*, III, 1010 sq. et SCHWARZ, *zur Gesch. der neuesten Theologie*, 2e. aufl. S. 284.

rori patrocinari videtur. Quod Hegel autem, Strauss et Rothe Ecclesiae interitum vaticinati sunt, non tam res humanas inter atque divinas dualismum spectat, sed exinde unice explicandum est, quod religionem et moralitatem tam arcte ac indissolubiliter inter sese coniunxerint, ut prae moralitate ad plenum usque exculta atque perfecta, religionem evanescere prorsus opinentur [3]). Et sane, dummodo religionis ad id, quod verum, bonum ac pulchrum est, relatio bene perspiciatur, ad hoc necessarie deveniendum erit dilemma, aut religioni iuxta veri, boni pulchrique studium nullum peculiarem esse locum designandum, adeoque nil praeter interitum exspectare Ecclesiam, quae absque religione corruat necesse est, — aut vero philosophice etiam religioni suam provinciam esse vindicandam, tanquam sensui indole sua universo mortalium generi indito, quo in dies clarius Auctoris sui, a quo in omnibus pendeant, conscientiam in intimo corde persentiscant, quique adeo veri, boni pulchrique amorem eo pacto nobis instillat, ut eorum ideam in Deo, veluti in Ente cogitante (non tanquam in *persona*), absolutam atque perfectam adesse nobis fingamus, — esseque igitur Ecclesiae in aeternum iuxta rempublicam suum assignandum locum. Etenim amor nihil aliud est, quam affinitatis relatione innitens coniunctionis principium. Quo magis ergo in nobis veri, boni pulchrique studium excolatur, eo dilucidior Dei intelligentia nobis constabit, quem eo fervidius amaturi sumus, quod haec tria non tantum in se comprehendit absolute, sed vero Ipse est. Et quum Deum non extramundanum nobis cogitandum esse scimus, neque extranaturalem, qui tantummodo extrinsecus sui cognitionem nobis instillet, sed vero existentiae nostrae principium in nobis ipsis situm esse, quo intrinsecus agitemur, sequitur, ob eandem affinitatis legem in aliis quoque Dei patefactionem nos adamaturos esse. Quo penitius igitur Dei immanentiam persenti-

---

[3]) Ceterum rempublicam cum Hegelio definiendam esse „die Wirklichkeit der „gesammten sittlichen Idee", non propterea cum HANSEN (*Die Luth. u. Reform. Kirchenl. v. d. Kirche.* S. 5) et SCHENKEL (HERZOG. Real-Encyclop. in v. *Kirche.* S. 593) nego, quod *iustitiam* illa tantummodo spectaret, (quippe quae idealiter sumta omnem moralitatem complectitur), sed vero quod *externam* iustitiam unice custodit, et indole sua legalitatis principio necessarie alligata est, quod, etsi moralitati egregie pro tempore prodesse possit, nimis tamen eius naturae officit, quam ut eius perfectam notionem ad plenum usque explicare posset unquam.

scamus ipsi, et quo latius Dei virtus sese exserat in omnibus, non poterit, quin in dies magis mutua affinitas propter verum, bonum atque pulchrum Deum ipsum, et propter Dei in omnibus patefactionem, fratres nostros diligere atque amare nos doceat; quod tam sublime iuxta ac simpliciter Iesus elocutus est, ubi a Deo precatur: *ἵνα πάντες ἓν ὦσιν, καθὼς σὺ πατὴρ ἐν ἐμοὶ κἀγὼ ἐν σοί, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ὦσιν, ἵνα ὦσιν ἕν, καθὼς ἡμεῖς ἕν, ἵνα ὦσιν τετελειωμένοι εἰς ἕν* [4]). Absque Dei in genere humano immanentia, quî in aeternum Ecclesiae notio defendi posset, non video; quî contra, si Deus in nobis omnibus est ac operatur, Ecclesiae interitum praesentire quis sibi videatur, prorsus non capio. Vetus Ecclesia, qualis eius notio hodie etiam plerisque placet, Dei transscendentia unice fere superstruitur, unde sequitur, aut una cum Dei absoluta transcendentia hanc quoque Ecclesiae notionem relinquendam esse, aut contra pedibus manibusque ad Romanam Ecclesiam esse redeundum, quae transscendenti cosmologiae unice convenit [5]). Reformatores subinde, magis etiam Reformatorum praedecessores et Anabaptistae, Dei immanentiam, quam e longinquo praesenserunt potius, quam funditus sibi perspectam habuerunt, ad Ecclesiae quoque notionem transferre conati sunt. Quia tamen Dei mechanicam potius spiritus sui insitionem, quam naturaliter intrinsecus in homine sese exserentem operationem sibi cogitaverunt, mox, ut Lutheri praesertim exemplo edocemur, in vetustum errorem relapsi propius iterum necessarie ad Romanensium Ecclesiae notionem redierunt, quae Dei transcendentia superstructa, multo melius cum dualistica eorum cogitandi ratione conveniebat. Quum igitur Ecclesia nunc etiam in universo eundem characterum refert, quo signaverunt eam ante haec tria saecula Reformatores, facile intelligitur, quam grave discidium hodie ab universa nostri temporis mentis directione Ecclesiam divellat, et seria oritur quaestio, utrum tot saeculorum decursu Ecclesiae catholicae notio tam arcte cum dualistica cosmologia coniuncta sit, ut cum prava hac Ecclesiae notione ipsum quoque Ecclesiae nomen interire

---

[4]) Joän. XVII. 21—23.

[5]) Quam proxime iam ad Romanam Ecclesiam accesserint Pusyistae et Hyper-Lutherani, notum est. Ulterius quoque progreditur MÜNCHMEYER, qui statuit, dass „alle Getauften, auch die Gottlosen und Heuchler Glieder sind der einen „Kirche, welche ist das Leib des Herrn." *Das Dogma von der Sichtb. u. uns. Kirche.* S. 114.

debeat, an vero, quod cum fiducia affirmare ausim, novus ille organismus, qui cursu temporis sponte sua ex hodierna Ecclesia prodibit, suo quoque iure Ecclesiae nomen vindicare sibi queat, quamvis sit ipsius notio immutata [6]). In veriore autem hac Ecclesiae notione indaganda, praeparanda, constituenda parum omnino proderunt nobis exquisitae ac grandisonae formulae, quibus pleraque dogmatices systemata etiamnunc Ecclesiae notionem definire pergunt, et quemadmodum in reliquis omnibus a vanis speculationibus ad ipsas res in facto positas in dies magis dogmatice redit, et v. c. hominem non amplius in paradiso unice fere sibi cogitat, sed qualis nostro tempore cognoscatur; Christum, non qualem finxerit eum fama et decreverint olim oecumenica concilia, sed qualem historica nostri temporis conscientia eum apprehendat; vitae aeternae spem, non qualem somniaverint eam prisci Iudaei, sed qualis nostro animo inhaereat, nobis describit, sic quoque in Ecclesiae notione exponenda, desinat tandem in sensu vacuis acquiescere formulis, et historia duce e conscientia nostri temporis religiosa feliciorem Ecclesiae conditionem mente augeretur, et doctrinae suae lumine praeparet ipsa. Religionis propagatrix non est Ecclesia, sed ipsi religioni insita vis eius ideam propellit. Religionis organon singuli sunt homines, in quibus religiosus sensus efferbuit, et Ecclesia idcirco tantum sic appellari potest, quod hominum multitudinem complectitur. Proprie quidem, nullus peculiaris in dogmatica Christiana Ecclesiologiae locus assignari potest, nisi loco de singuli hominis ad Deum relatione, alterum adiungere velis de hominum multitudinis ad Deum, deque eorum mutua ad invicem relatione [7]). Omni autem dogmaticae, vel quod eodem

---

[6]) Contrarium censet RÜCKERT, *Ein Büchlein von der Kirche*, Jena 1857, qui *Communionis* (die Gemeinde) nomen praefert, quam inter et Ecclesiam nimis severe distinguere mihi videtur.

[7]) Neque multum prosunt Ecclesiae definitiones, quas Ecclesiae historiae praemiserunt Gieseler et Kurtz, quasi ab initio iam eius notio, quam ipsa demum historia explicare debet, fixa rataque tritis usitatisque formulis circumscribi posset. Quod contra suo iure fecit RICHTER (*Lehrb. des Kath. u. Ev. Kirchenr.* S. 1 et 25), qui ius conditum Ecclesiae referens, Ecclesiam talem unice spectare potuit, qualis re factoque condita est. Miror Schenkelium etiam nunc in Ecclesiae notitione expendenda ad Etymologiam provocare. Vocabulum „Ecclesia" (sensu Christiano) non derivandum est a verbo *ἐκκαλεῖν*, sed vocabulum *ἐκκλησία* eo sensu, quo apud Graecos eius temporis intelligebatur, in Christianorum coetum translatum est. Cf. HERZOG, *Real-Encycl.* in voce: Kirche S. 560.

redit, philosophicae de Ecclesia inquisitioni historiae fundamentum substruatur. Quodsi satis aperte constat, Ecclesiam ad hunc usque diem notioni suae ideali respondisse numquam, sed fuisse contra magis minusve pro temporis ratione debilem ac pravam huius idealis notionis apparitionem, et iam circiter dimidium saeculi secundi Ecclesiae nomen ab Ecclesia Catholica ea ratione occupatum esse, ut nonnisi turbidam dehinc Ecclesiae, proprie sic dictae, imaginem nobis repraesentet, — sequitur, non hoc tantum historiae mandatum esse officium, ut Ecclesiae, quae dicebatur, fata enarret, sed vero omnem Ecclesiae ideae explicationem nobis quam accuratissime referat, quae mox typicam, qua semel signata erat, formam egressa vi insita ulterius in mortalium genere sese exseruit. Praesertim a reformationis inde tempore quam diligentissime Ecclesiae notionis explicatio investigetur, ut errorum, quibus hodierna Ecclesia laboret, aperiatur fons, et quaenam frustra reformatores in Ecclesia constituenda tueri conati sint, dilucide nobis appareat. Quia tamen nullibi melius quam reformationis tempore Ecclesiae idealis notionis explicatio ab externa eius apparitione dignosci potest atque discerni, et tamen in dogmaticis suis de Ecclesiae notione formulis constituendis nihil fere a Romanensibus Reformatores differunt, sponte in oculos incurrit, quam parum privam eorum ac propriam sententiam dispiciant, qui in formulis istiusmodi acquiescunt. Qui scire cupit, quaenam genuina Protestantismi Ecclesiae notio sit, sedulo undecunque colligat, quicquid haesitanter subinde de Ecclesiae notione protulerint Reformatores, et, quoniam melius in Ecclesia constituenda, quam in dogmatice ea definienda, mentem suam explicuerunt, omnem Ecclesiae, quam condiderunt, organismum quam accuratissime perscrutetur [8]); inprimis autem eorum, qui secundarum tertiarumque in sacrorum emendatione partium actores exstiterunt, de Ecclesia sententias penitissime cognoscat, quia rerum

---

[8]) In Lutheri de Ecclesia sententia pervestiganda eandem viam ingressus est KÖSTLIN, *Luther's Lehre von der Kirche.* Stuttgart 1853, qui ipse dicit: „Die „gegenwärtige Schrift hat den Zweck ... mit möglichster Genauigkeit aus Lu„ther's Schriften diejenige Grundanschauung von der Kirche darzustellen, „welche dem grossen Reformator der Kirche eigen war, und ihn bei all seinem „Lehren und Wirken geleitet und belebt hat." S. 2. Et sane Lutheranorum Ecclesiae multo magis parvo suo libello profuit, quam Löhe, Delitsch et Kliefoth copiosis suis lucubrationibus.

necessitates et temporis rationis impetus vim suam minus exercere solent in eos, qui a scena remotiores expeditius indolem suam explicare possunt. Hac via nos quoque in genuina Protestantismi de Ecclesia sententia pervestiganda progressi, quoniam inter Reformatores nemo fuit, qui privam Protestantismi in Ecclesiae notione constituenda indolem melius referat, quam à Lasco, nemo contra ad Romanae Ecclesiae principia Calvino propius redierit, de industria Calvini Lascique de Ecclesia sententias inter sese componere conati sumus.

Haec fere sunt, quae de consilio nostro, deque argumenti, quod tractamus, momento praemonenda erant. Quid profecerimus aequi diiudicent ac benevoli lectores [9]).

---

[9]) Nuperrime in lucem nova Calvini prodiit Biographia: *Calvin, sa vie son oeuvre et ses écrits* par FÉLIX BUNGENER. Paris. 1862; quae tamen nihil omnino, quod doleo, nobis prodesse potuit, quoniam omnis iam disquisitio nostra prelo submissa erat.

J. CALVINI ET J. À LASCO

DE

ECCLESIA SENTENTIARUM INTER SE COMPOSITIO.

PARS I.

EXPONITUR J. CALVINI DE ECCLESIA SENTENTIA.

PRAEMONENDA.

Satis notum est J. Calvinum in IV° suo »Institutionis religionis »Christianae" libro de industria suam »de externis mediis ad sa»lutem" condidisse sententiam, deque eo Christianae religionis loco, qui est de Ecclesia, uberrimam doctrinam tradidisse. Res adeo facillima et nullius fere negotii videri posset concinne atque enucleate eius de Ecclesia sententiam in compendium redactam aliis quoque expendere; obvium scil. videtur breviter et compacte referre, quae ipse Calvinus in »Institutionis" suae libro fusius latiusque de Ecclesia digesta exposuit, ita quidem, ut eodem prorsus argumentum distribueretur modo, eadem plane via ac ratione procederet disputatio, atque similis et compar in materie digerenda observaretur ordo atque series. Nihilominus tamen re accuratius perspecta longe secus mihi agendum visum est, variis ad id inducto rationibus. Quum enim in »Institu»tione" sua de universa Christiana religione mentem suam explicaret Calvinus, Ecclesiae eum necessarie designavit locum, quem totius operis ambitus suadebat distributio. Non libera igitur est et ab omni parte expedita eius de Ecclesia disputatio, sed talis, qualem praecedentium librorum postulabat natura atque indoles; quo factum, ut bene multa, quae ad Ecclesiae

notionem proprie pertinent, sed in aliis locis tamen silentio praetermitti non poterant, in praecedentibus pro re nata accuratius expensa, in loco de Ecclesia aut omiserit plane, aut verbo tantummodo attigerit. Rursus in IV° »Institutionis" libro haud pauca exponuntur, quae ad Ecclesiam nihil prorsus attinent, et tamen, in compendio totius quippe religionis necessaria, nullibi idoneum magis locum expiscari sibi potuerant. Sunt quoque haud tam exiguo numero res, ad Ecclesiologiam necessarie pertinentes, quas in »Institutione" sua carpsit potius veluti e latere, quam funditus excussit; de quibus ergo plenior Calvini sententia petenda erat aliunde. Omnis porro illa »Christ. rel. institutio" natura sua invectiva est atque polemica lucubratio, quae hinc Romanenses, ab altera parte petit Anabaptistas. IV[i] praesertim huius operis libri bona pars conferta est ingenti argumentorum copia, quae sedulo contra adversarios suos coacervavit noster, unde tamen eius de Ecclesia sententiae nihilum fere lucis affulget. Accedit, quod in comparatione versamur, quae postulare videtur, ut quantumpote utriusque reformatoris sententia eodem pariter ordine tradatur. Denique nos movit plerorumque, qui de Calvini Ecclesiologia scripserunt, exemplum, qui omnes, si unum DÉVISME excipias, suam quisque sibi viam in scribendo muniverunt. At vel sic tamen curae nobis fuit ac sollicitudini, ut pressius etiam, quam illi, ipsius Calvini sequeremur vestigia, quatenus illos quoque variae impediverunt res, quae nihil nos morari poterant. Quibus omnibus rite perpensis non est, quod angamur, ne uti disputandi nostra ratio verae et obiectivae Calvini sententiae expositioni inferat iniuriam. Nonnullis igitur praemissis de fontibus, unde Ecclesiae notionem hauriendam esse statuerit Calvinus, ut et de Ecclesiae e mente ipsius origine atque historia, ordine dicetur *de Ecclesiae notione* primum, tum *de via ac ratione, quibus operatur,* et *de regimine ecclesiastico;* denique *de relatione Ecclesiae ad alios.* Neque hic tamen subsistendum nobis videbatur, ut funditus Calvini de Ecclesia perscrutaremur sententiam; etenim, Ecclesia qualis e scriptis Calvini cognoscitur, differt nonnihil ab ea Ecclesia, quae Genevis sub ductu eius atque auspiciis instaurata fuit; quare in primis operae pretium habuimus, Calvini mentem, qualis in huius Ecclesiae conditione sese prodit, paucissimis illustrare. De Ecclesia Gallica, Scotica, patria, quae ab aliis, non autem ab ipso Calvino fuerunt ordinatae, non est, quod

dicamus. Quum denique in verbis Calvini afferendis duplex pateret via, ut aut sc. ipsissima verba nectendo in textum insereremus, aut contra reiiceremus in marginem, potius habuimus ipsum Calvinum suis veluti verbis loquentem introducere, ut magis obiective Calvini promeretur sententia, et simul etiam compendio iretur consultum.

SECTIO I.

EXPONITUR J. CALVINI DE ECCLESIA SENTENTIA, QUALIS E SCRIPTIS IPSIUS COGNOSCITUR.

De fontibus, unde Ecclesiae notitiam hauriendam statuerit.

Antequam ad ipsam Ecclesiologiam Calvini transeamus, verbo dicendum est de fontibus, unde verae Ecclesiae notitiam hauriendam esse statuerit, sive potius de norma, ad quam Christianam Ecclesiam censuerit instituendam, ut bene ab initio constet, quamnam in ea re auctoritatem veteris ecclesiae usui, quamnam sacrae scripturae, quamnam denique rationi humanae, sive philosophiae tribuerit. Aliter censuisse Calvinum in talibus, aliter egisse, mirum movere non potest. Natura rerum id fert, ut quicunque inciderit in eas saeculorum ἐποχάς, ubi res humanae, in deterius semper quae prolabi viderentur, necopinato repentinam subierint commutationem et divino veluti ictu in meliorem viam inductae sint, tenacissime necessarium atque vix interruptum praecedentium saeculorum cursum prosequatur, dum contra rerum ordinem infringere, et omnia, quae infelicium illorum temporum fructus esse videntur, susque deque vertere sibi fingit. Sic noster quoque Papistarum innovationum plus quam pertaesus Ecclesiam ad pristinam puritatem revocat, »ad illam Ecclesiae formam, quam apostoli constituerunt, in »qua... unicum habemus verae Ecclesiae exemplar, a quo si »quis vel mimine deflectit, aberrat [1].” Ecelesiam Dei uniee

[1]) *Responsio ad* SADOL. Tom. VIII. p. 108.

reformandam esse clamat »ex mero Ipsius verbo, quod unum »est pro regula, ad quam et instituenda illa sit et legitime »tuenda [2]);" »atque adeo in genere repud*it*, quicquid absque »authoritate verbi Dei introductum sit [3])." Verbum Dei sacra continetur scriptura, i. e. veteri foedere atque novo, quae inter nullum fere discrimen statuit, »manet enim per Christum invi»olabilis legis doctrina [4])," »manet semper inconcussum illud: »ex legis authoritate nihil decessisse, quin eadem semper vene»ratione obedientiaque ipsam a nobis suscipi conveniat [5])." In ipso N. T. apostolorum agendi ratio et sententiae prolatae eodem plane loco aestimandae sunt atque Jesu ipsius effata, in apostolis scil. veneratur »Spiritus Scti organa [6])" et »authentic*os* »amanuenses [7])," quorum adeo dicta »pro oraculis habenda sunt [8])," quorum »testimonio stat et cadit Ecclesia [9])." Si e Calvino quaeris, quanam fiducia tantam sacrae scripturae tribuat auctoritatem, illico et unice fere provocat ad »testimonium Spiritus »Sancti [10])." In locis dubiis et explicatu difficilioribus interpretandi ius publice penes Synodos residere censet [11]). Oecumenicis conciliis [12]), ut et patribus Ecclesiasticis [13]), non tam leve tribuit pondus, modo ad s. scripturae normam eorum sententiae exigantur [14]). Rationi humanae et philosophiae nullum relinquit locum, simulatque sacrae scripturae exspatiantur fines [15]). Miraculis, quae ab aliis venditari solebant ad suam tuendam opinionem, fidem prorsus abrogat [16]). In rebus denique externis et

---

2) *Ep.* Tom. IX^b. p. 242^a.

3) *Fid. conf.* Tom. VIII. p. 91^b. cf. eius *dedic. Ep. Comment. ep. ad Hebraeos*, SIGISMUNDO POL. *reg. datam.* Tom. VII. p. 513—15.

4) *Inst.* II. 8. 13. 5) *Inst.* II. 8. 13. 6) *Inst.* IV. 1. 14.

7) *Inst.* IV. 8. 9. 8) Ibidem. 9) Ibidem.

10) *Inst.* I. 7. 4, *Comm. ad* 2 *Co.* 1. 21, *Eph.* 1. 13, 14, 1 *Io.* II. 27. et 1 *Io.* V. 7, *Inst.* III. 1. 1, III. 2. 35. et Op. Tom. VIII. 15^b.

11) *Ant. ad art. Conc. Trid. Sess.* IV. Tom. VIII. p. 231^a. cf. *Inst.* IV. 9. 13, *de aeterna Dei praed.* Tom. VIII. 600^b, *Comm. ad* 1 *Io.* IV. 1. Aliter quodammodo censuit in „*Vera Eccl. reform. rat.*" Tom. VIII. 280^a.

12) *Conf. fid. nom. Eccl. Gallic.* Tom. VIII. 92^b. *Inst.* IV. 9. 17.

13) *Inst.* IV. 12. 27. *Ep. ad* BUC. (HENRY I. Beil. 6. S. 41.) *Resp. contra* PIGH. Tom. VIII. p. 132^a.

14) *Inst.* IV. 9. 9, 12, *Ant. in art. Conc. Trid. Sess.* III. Tom. VIII. p. 230^a.

15) *Comm. in Hebr.* 1. 1. *Inst.* IV. 16. 17, IV. 10. 24, *Conf. fid. nom. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 92^b.

16) *Ant. ad art. fac. theol. Par.* XI. Tom. VIII. p. 195^b. *Ep. ad* PIGN. (HENRY I. Beil. 12. S. 59.) *Praef. Inst. ad* FRANC. I. p. IV.

mediis pro locorum et conditionis varietate iudicium singulis Ecclesiis permittit, quatenus in sacra scriptura nihil descitum de iis inveniatur [17]).

Sic fere censuit Calvinus ubi rogatus theoretice ad quaestionem propositam respondit; iam sequens doceat disquisitio. quam saepe sit a recta via digressus, vel potius nondum scopum ferire ei licuerit, ubi ipse novum Ecclesiae aedificium exstruendum in se susceperat.

CAPUT I.

DE ECCLESIAE ORIGINE ATQUE HISTORIA.

---

§ 1. *De Ecclesiae auctore.*

De Ecclesiae auctore, quaenam Calvini fuerit sententia, nemo facile anceps haerebit, simulatque ob oculos sibi posita habeat verba haecce: »Ecclesia non ex hominum industria proven*it*, »sed a sola Dei gratia man*avit* [1])," nam »solus Deus proprie »est, qui Ecclesiam suam aedificat [2])," »inque Ecclesia gignenda »insolitam suam virtutem exserit [3]), quin imo »vitam trahit »Ecclesia ex arcano Eius beneplacito [4])." Quandoquidem scil. »ruditas nostra atque segnities externis subsidiis indiget, qui»bus fides in nobis et gignatur et augescat, ea quoque Deus »addidit, quo infirmitati nostrae consuleret [5]) et »formavit sibi »Ecclesiam [6])," quae merito idcirco »Dei institutio [7])," »Dei »Ecclesia [8])" áb eo nuncupatur. Ecclesia Dei nomen prae se

---

17) *Resp. ad versip. quemd.* Tom. VIII. p. 308. *Inst.* IV. 10. 30.
1) *Comm. ad Gen.* c. XXV. 19.
2) *Comm. in Exod.* c. XXV. 2. cf. *Comm. ad Hebr.* III. 3. et ad 1 *Pe.* II. 6.
3) *Comm. ad Exod.* c. XII. 37. 4) *Prael. in Ezech.* c. XVI. 6.
5) *Inst.* IV. 1. 3. 6) *Prael. in Ierem.* c. VII. 22.
7) *Inst.* IV. 1. 10.
8) *Hom. in* 1 *Sam.*, *Hom.* CV. Tom. II. p. 470b, *Hom.* CVII, ib. p. 477a; *Comm. in Gen.* c. XLIII. 32. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. p. 279b. *Comm. in Ep. ad Rom.* XI. 2. *Inst.* IV. 1. 17.

fert, quatenus Deum »in Ecclesia sua tuenda, asservanda, »punienda, stabilienda [9])" totum esse videmus atque assiduum, quod »nolit *nos* adolescere in virilem aetatem, nisi educatione »Ecclesiae [10])." Hinc quoque Ecclesiae auctorem sese prodit Deus, quod ab Eius nutu atque auctoritate omne pendeat Ecclesiasticum regimen, omnis quaelibet sine ulla cuiusvis exceptione in Ecclesia potestas. Statuit enim »omne regimen Ecclesiasti»sic pendere ab Eius decreto, ut nihil omnino hominibus statuere liceat [11])." Quotquot igitur in Ecclesia munere fungantur, »Deum habent muneris auctorem [12])." Deus denique est, qui »nos sibi adoptat et in Ecclesiam colligit [13])," atque »sin»gulas sibi Ecclesias ex omnibus mundi plagis colligit [14])." Quodsi e verbis allatis satis tute efficias Ecclesiam a Calvino unice ad Deum auctorem referri, observatu tamen dignum videtur, Ecclesiam saepius quoque »Christi Ecclesiam [15])" apud eum audire, ét alias ob causas, ét propterea quoque, quod a Christi inde adventu renovata quodammodo Ecclesia fuit [16]).

§ 2. *A quo inde tempore Ecclesia exstiterit?*

Hoc quoque Calvino cum omnibus fere tunc temporis Theologis commune erat, quod ad mundi originem Ecclesiae incunabala solebat revocare. »Fatemur," inquit, »omnes sic propagatam »fuisse ab initio mundi Ecclesiam, ut continuo saeculorum or»dine ad nos usque duraverit [1])," quapropter »statuendum est »nullum fuisse ab orbe condito tempus, quo Ecclesiam suam »Deus non habuerit [2])," nam procul dubio »religionis nostrae »exordium e creatione mundi petendum est [3])." Hisce consentaneum in historia Ecclesiastica exponenda ubivis noster retro

---

9) *Prael. in Ier.* XVIII. 18. cf. *Inst.* I. 6. 1; *Prael. in Ierem.* XIV. 14, XXV. 18; *Hom. in* 1 *libr. Sam.*, *Hom.* LI. Tom. II. p. 221a, *Hom.* CV, Tom. II. 470b, *Hom.* XLVIII. ib. 209b; *Prael. in Dan.* VII. 27, IX. 34; *Inst.* IV. 1. 2; *Hom. de ferendis persequ.* Tom. VIII. p. 469a.

10) *Inst.* IV. 1. 4. 11) *Comm. ad Num.* c. XVII. 4.

12) *Comm. ad Exod.* c. XVI. 6. cf. *Inst.* IV. 1. 1.

13) *Comm. ad Deut.* c. VII. 6.

14) *Inst.* III. 20. 43. cf. *Prael. in Ezech.* c. XV. 6.

15) *Comm. ad Matth.* XXVIII. 20; *Prael. in Dan.* c. VII. 14, passim.

16) *Comm. ad Matth.* c. XVI. 18.

1) *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. p. 279b. cf. et 279a.

2) *Inst.* IV. 1. 17. 3) *Comm. in Eph.* II. 20.

solet ad mundi originem descendere [4]). Ne autem in vocabulo »Ecclesiae" ludere videamur, eadem denominatione diversissimas comprehendentes res, dedita opera ostendemus unam eandemque plane Calvinum tam sub novo quam sub vetere foedere sibi cogitavisse Ecclesiam et nullum aliud omnino inter utriusque periodi Ecclesiam interposuisse discrimen, quam leviorem maioris minorisve perfectionis differentiam. Quam sententiam satis aperte eloqui videtur, ubi disertis verbis statuit »tempus illud," sc. sub vet. foed., »fuisse Ecclesiae pueritiam, nunc vero a »Christi adventu adolevisse, ut sit quodammodo in aetate virili [5])." Nonnullam igitur subiit commutationem, et negari nequit »se»riem aetatum Christi adventu partim abruptam esse, partim »mutatam [6])," sed festinat tamen adiicere: »foedus cum Abra»hamo pactum proprie carere fine et vocari posse aeternum, »quatenus ad totam Ecclesiam pertinet [7])," quod alibi apertius etiam elocutus est: »Omnibus saeculis Ecclesiae fuit eadem »ratio [8])." Quod sic intelligas, ea omnia quae revelare mortalibus dignatus sit Deus sub vetere testamento, etiam post Christi adventum fixa ac rata remanere, donec vet. test. oeconomia in novum foedus translata sit. Hanc veram Calvini mentem esse abunde attestabitur testium series [9]), quem compendii causa in marginem reiecimus, id magis e re fore ducentes, in ipso textu continuum describere locum, in quo ipse noster de industria Ecclesiam Israelitarum cum Christiana Ecclesia composuit, unde manifesto deprehendet unusquisque, quatenus e mente Calvini utraque Ecclesia conveniat, quae contra inter utramque intersit differentia. Verba eius sic se habent: »Talis," inquit, »com-

---

[4]) Vide in lib. *de Scandalis*, quem a°. 1550 misit Laurentio Normandio Tom. VIII. p. 70[b]—75[a].

[5]) *Comm. ad Eph.* II. 20. [6]) *Comm. ad Gen.* XVII. 7.

[7]) Ib. in vicinis. cf. *Comm. ad Exod.* c. XII. 14.

[8]) *Hom.* CV. *in* 1 *Sam.* Tom. II. 470[b].

[9]) *Comm. in Gen.* XII. 3; XV. 10, 11; XVII. 7; XVIII. 18, 27; XXV. 19; XXVII. 28; XXXIII. 6; XLIII. 32; XLVI. 31; *in Exod.* XII. 27, 34; XV. 17; XIII. 21; XXV. 2; XXVIII. 2; *in Num.* XVI. 1; XVII. 4; XXII. 1; XXVI. 1; *in Deut.* V. 24; VII. 6; XVIII. 15; XXIII. 4; XXV. 9; *in Iosuam* IX. 1; *Hom. in* 1 *Sam.* Tom. II. p. 2[a], 53[b], 209[b], 221[a], 224[a], 228, 252[a], 323[b], 412[a], 421[a], 447[a], 449[a], 470[b]; *Conc. in Hiob.* I. Tom. II[b]. p. 3[b]; *Excerpta e prael. in Ierem.* ad XIV. 14; XVIII. 18- XXV. 18; XXX. 20; *in Ezech.* ad II. 6; XI. 16; XV. 6; XVI. 20; *in Dan.* ad II. 44; VII. 14, 25, 27; VIII. 11; IX. 32, 33; XI. 34, alibi.

»paratio uberrimam doctrinam continet, atque inprimis utilem; »primo hinc colligimus eiusdem haereditatis spem fuise patribus »sub v. T., quam hodie habemus; quia eiusdem adoptionis par»ticipes fuerunt. Non enim in hoc tantum eos electos fuisse a »Deo Paulus docet, ut nobis aliquem Dei populum figurarent, »sed ut nobiscum essent filii Dei: et nominatim testatur non »ad eos minus, quam ad nos pertinere spiritualem benedictio»nem Abrahamo promissam. Secundo colligimus in externa ser»vitute nihilominus liberas fuisse eorum conscientias; praesertim »vero de gratuita peccatorum remissione edocti conscientias ha»bebant a peccati et mortis tyrannide solutas. Inde constituen»dum est eandem fuisse semper doctrinam, et vera fidei unitate »nobiscum fuisse coniunctos, unius etiam mediatoris fiducia no»biscum fretos, Deum patrem invocasse, et eodem Spiritu scto »fuisse gubernatos. His omnibus contentaneum est discrimen »nos inter et veteres patres non in substantia esse, sed in »accidentalibus [10])." Sub vetere quoque foedere verbi ministerium in Ecclesia Dei viguit [11]), sua quoque patres habuerunt Sacramenta (arborem vitae, arcam Noë, clibanum fumigantem, circumcisionem [12]), vellus roratum [13]), alia), et »utriusque »Testamenti Sacramentorum idem et auctor, eaedem promissio»nes, eadem veritas, idem in Christo complementum [14])." »Nisi »*enim* Deum mendacii arguere vellent Iudaei, necesse fuit eos »ad Christum respicere [15])." Ut concludamus: »Phreniticis *illis*, »*qui probare student*, in vetere populo nihil unquam fuisse, nisi »umbratile gestum,... ac sumunt populum illum esse figuram »Ecclesiae," acriter Calv. obstrepit: »Hoc pestilentissimum," inquit, »est dilirium, quod et atrocem iniuriam facit sane sctis »Patribus et Deo etiam longe atrociorem. Sic enim fuit ille

---

[10]) *Comm. ad Gall.* IV. I. Similiter in *Comm. ad Exod.* XII. 14. testatur: „foedus novum, non quod ad substantiam interitus est veteris, sed quod ad formam duntaxat."

[11]) *Inst.* IV. 1. §. [12]) *Comm. ad Gen.* XV. 17.

[13]) *Inst.* IV. 14, 12, 18; *Admonitio ult. ad* J. WESTPH. Tom. VIII. 696b; *de vera Chri part. in Coena.* ib. p. 741.

[14]) *Antid. in decr. Conc. Trid.* Sess. VII. c. 2. Tom. VIII. p. 256a. cf. *Inst.* IV. 14. 20, 23.

[15]) *Comm. in Deut.* XVIII. 15. cf. *Inst.* II. 6. 2. *Praef. in ed. N. T. Gall. a.* 1535 Tom. IXb p. 247a. Iam apparuisse Christum sub. V. T. testatur: *Comm. in Exod.* XIII. 20; *Prael. in Dan.* X. 16; *in Hos.* V. 4; III. 5; XII. 4; *in Ioël.* II. 17; *in Amos.* IX. 11; *in Micha* V. 5; *in Hab.* III. 13; *in Zach.* X. 8 alibi.

»populus Christianae Eccl. figura, ut vera etiam Ecclesia fuerit [16]), »quam in latebris saepe mirabiliter conservavisse docet Deus [17]).”

§ 3. *Ubinam sit Ecclesia reperiunda.*

»Initio ante foedus par et eadem fuit totius mundi conditio. »Simul vero ac Abrahamo dictum fuit: Ero Deus tuus cet., a »reliquis gentibus divisa est Ecclesia [1]);” quas omnes hucusque materno foverat amplexu. Mox autem »populus Israëliticus in »ovile Dei receptus est et ab hoc inde tempore reliquae gentes, »tanquam bestiae, erraverunt in deserto [2]),” et remansit praeclarum istud gratiae divinae monumentum Israëlitis sepositum ad Christi usque adventum. »Nisi tunc *enim* Hierosolymis Ec»clesia fuisset, numquam sacrificiis aliisque caeremoniis commu»nicasset Christus [3]).” Tunc demum salutifera Christi apparitione »Abraham ascititium genus ex omnibus mundi plagis »habere coepit [4]),” et Ecclesia dehinc »diffusa per totum or»bem [5]),” »in mundo ceteris permixta.. nullo externo splen»dore insignem, neque distinctam ullam regionem *habuit,* in qua, »tanquam in terrestri paradiso, versetur [6]).” Latuit subinde Ecclesia et externam speciem deposuit, quod tamen ne ita accipias cave, quasi per intermedia illa temporis spatia sublata fuisset Ecclesia atque interrupta. Contra enim asseverat noster: »Tempore Eliae,” ut hoc exemplo utar, »talem fuisse Ecclesiae »vastitatem, ut nullus iam superesset Ecclesiae conspectus, et »tamen, quum nullum exstaret gratiae Dei vestigium, sic quasi »in sepulchro latuisse Dei Ecclesiam, ut mirabiliter servata fue»rit [7]).” In Ecclesia praesertim Israëlitica idipsum monuisse supervacaneum non videbatur [8]).

---

16) *Comm. ad* 1 *Cor.* X. 11.

17) *Prael. in Ezech.* XI. 16; *Comm. in Rom.* XI. 2, *Hom. in* 1 *Sam.* Tom. II. p. 477ª, *Inst.* IV. 2. 8 et IV. 9. 7.

1) *Comm. in Gen.* XVII. 7.

2) Ib. cf. *Conc. in Hiob.* Tom. II. p. 2ᵇ. *De Scandalis.* Tom. VIII. 72ª *Comm. in Gen.* XLVI. 31.

3) *Inst.* IV. 9. 7. 4) *Comm. in Gen.* XVII. 7.

5) *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 279ᵇ. cf. *Comm. ad Gal.* IV. 26.

6) *Hom.* LII. *in* 1 *Sam.* Tom. II. p. 228.

7) *Comm. in Rom.* XI. 2.

8) Cf. ad hanc §. *Comm. ad* 1 *Co.* I. 1. et 1 *Thess.* I. 1; *Inst.* IV. 2. 8, 12; *Resp. ad* SADOL. Tom. VIII. p. 113ᵇ, 114ᵇ, 115; *Resp. ad versip. quemd.* Tom. VIII. p. 309ª.

§ 4. *Ecclesiae historia.*

Ne vel digitum latum Calvinus in historia Ecclesiastica exponenda deviavit a tramite, quem ab Eusebio monstratum ingressi sunt dehinc omnes, qui in Christiana Ecclesiae historia tradenda navaverunt operam, donec tandem a Moshemio derelictus est, et quem optime definivit BAURUS: »die abstracte Transcen»denz der sich ausschliessenden Gegensätze [1]." Antithesis illa, qualis paullisper a Protestantibus pro rerum conditione immutata est, optime cognoscitur in Centur. Magdeb. auctoribus, quibus firmiter erat persuasum, »dass der Papst der Antichrist »sei [2]), und *daher* auch in der Kirche, soweit sie von dem rö»mischen Bischof beherrscht ist, nur das Reich des Antichrists »*sahen*. Ihr angelegentlichstes Streben ist nun darauf gerichtet, »dieses Antichristenthum von seinen ersten Anfängen an und »in seinem allmähligen Wachsthum bis zu der Spitze, auf wel»cher es im Protestantismus den Gegner fand, an dessen Wider»stand seine Macht sich brach, mit aller Schärfe zu verfolgen [3])." Sic noster quoque in hist. eccl. lustranda horrendum nobis devolvit spectaculum, in quo continuo serie omni vi ac impetu intendit Satanas et machinatur, ne ulterius sese exserat Dei regnum, adeoque internecivum cum eo conserere bellum numquam desinit. In eo tantum levior quaedam a Centuriatoribus differentia apud nostrum deprehenditur, quod magis etiam, quam illi ad Ecclesiae in V. T. incunabula solet redire, ut ab ovo inde atrox illud proelium repetatur. Iam a primordiis humani generis tristissima calamitate afflicta fuit Ecclesia, et ingens cepit detrimentum, quum instigante Satana bona hominum pars in Caïni progenie ab Ecclesia descivit. Rem aliquatenus sane restituit Enos, in cuius familia laete rursus effloruit veri Dei cultus. Octo vix autem praeterlapsis generationibus denuo tam misere degeneravit mortalium genus, ut in octo animis constiterit Ecclesia, e quorum numero sola Semi familia veram conservavit Ecclesiam. Neque hic ruina substitit. Semi quoque familia tota fere defecit, donec in solo Abrahamo et semine ip-

---

[1]) F. C. BAUR. *die Epoch. d. kirchl. Geschichtschr.* S. 110.

[2]) Papam Calvino quoque revera Antichristum fuisse, abunde probant haec eius verba: „Omnes notae, quibus Antichristum designat Sp. Sctus in papa clare apparent." *Comm. ad* 1 *Io.* II. 18. cf. *Comm. ad* 2 *The.* II. 4 et *ad Hebr.* II. 85.

[3]) F. C. BAUR. o. l. S. 46.

sius Dei sit benedictio collocata. Ne vel tam exiguam haereditatem intactam reliquit Antichristus, et Abrahami quoque proles in dies magis depravata ignobile debuit servitutis iugum subire in Aegypto, ut tandem Ecclesiae integritas staret incolumes. Strenue autem pugnam sustinuit diabolus, et postquam in haereditatem suam redierant Israëlitae, nulla tamen per sex continua saecula Ecclesiae stabilitas fuit. Sub Davide demum et Salomone ad feliciorem conditionem videbatur pervenisse, sed acriter renititur Satanas, et Eccl. in ipso beatitudinis culmine misere scinditur et dilabitur, a quo inde tempore, tam foris belli rumoribus, quam domi discordia et omnimodis calamitatibus oppressa, nefanda sua depravatione denuo in se divinam vindictam excitavit, et subiit parum ab interitu distans in Babylonium exsilium. Ex hoc quoque servitio ingenti Dei beneficio in libertatem restituta, ne vel sic tamen ab atrocissimis flagitiis se continuit, donec tandem Filium suum in terras misit Deus. Tunc innovata quodammodo atque mutata Ecclesiae conditio, et reiectis Israëlitis ad omnes ubique terrarum gentes sese extendit, inter quas laete mox effloruit et adolevit ad virilem aetatem. At ne tunc quidem arma posuit Satanas, sed contra novas assumpsit vires et strenue iterum descendit in certamen. Non potuit sane statim omni vi ac terrore erumpere, et usque ad Gregorium magnum aliqua saltem Ecclesiae species remansit, non ea quidem pura et sancta et non leviter a sua degenerata perfectitudine, sed tolerabilis tamen atque plausibilis. Dehinc autem res passim quotidie in deterius prolapsae sunt, dum sensim stabilivit se et adaucta fuit Romanae sedis tyrannis. Et eo usque grassata est prodigiosa illa ruina, donec ipse tandem Antichristus Sanctuarium Dei occupavit, neque veritus est foedo suo et horribili squalore sancta conspurcare penetralia, sacrilego suo capiti triplici diademate fulgentem imponens coronam. Quid mirum, jam omnia proinde ruisse praecipitia? Vastata est Ecclesia ac fere dissipata. Mactati fideles Christi servi. Is, qui Christi se iactabat vicarium, Deum abnegavit, Euangelia fictas imposturas, vitae futurae spem meram fabulam proclamavit. In illa autem tam foeda barbarie, quum actum iam videbatur de Ecclesia atque conclamatum, paullatim gradatimque renascentis lucis apparuerunt initia, donec post densissimam caliginem laete tandem effulserit Euangelii lux, quae vivificis suis radiis in mortalium denuo corde excanduit atque exarsit. Neque hic

tamen finis laborum a Satano dabatur. Major enim pars Antichristi iugum ita de collo abiecerat, ut sub euangelii vexillo in omnigenam prorumperent lasciviam. Quin imo, inter ipsos quoque fideles quanta discidia! quam dire inter eos saevit Antichristus! Ne uti vero animum despondeamus, Christi firmiter confidentes promissioni: »Non praevalebunt Hades prae Ec»clesia mea." [4]).

CAPUT II.

DE ECCLESIAE NOTIONE.

§ 1. *Quotuplici sensu Ecclesiae vocabulum ab eo usurpetur.*

Distinguit Calvinus Ecclesiam visibilem inter atque invisibilem, de qua distinctione fusius infra dicetur, sed vario praeterea sensu vocabulum »Ecclesiae" apud eum occurrit, et quidem quadruplicem potissimum admittit significationem. Loci ratione habita vocabulum illud accipitur, aut 1° de ecclesia, »quae per »totam orbem diffusa est" [1]), aut 2° de »singul*is* ecclesi*is*, quae »oppidatim et vicatim pro necessitatis humanae ratione dispo»sitae sunt, ut unaquaeque nomen et auctoritatem Ecclesiae »iure obtineat [2])." Contra ad fidei normam exactum, 3° »Eccle»siae" vocabulum multitudinem amplectitur eorum, qui ubiubi degentes »unitatem fidei colit atque observat [3])." Per Synecdochen denique interdum quoque, 4° »vocatur Ecclesia, ubi est »aliqua portio Ecclesiae, etiamsi non omnia in solidum respon»deant [4])" verae Ecclesiae notioni.

[4]) Cf. *de Scandalis* Tom. VIII. p. 72a, 75; *Inst.* IV. c. 3—7. *Scholia in Ep. papae Pauli* III. Tom. VIII. p. 183a sqq.; *Ep. praemon.* II. *def. contra* I. WESTPH. Tom. VIII. p. 660 sqq.; *Ref. err.* MICH. SERVETI. Tom. VIII. p. 512 sqq.; *Comm. ad Gen.* XVII. 7; *ad Exod.* XII. 4 et *ad Eph.* II. 20 sqq.

[1]) *Inst.* IV. 1. 7; *Resp. ad* SADOL. Tom. VIII. p. 108a; *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. p. 279b.

[2]) *Inst.* IV. 1. 9; *Refut. Hollandi.* Tom. VIII. p. 490a; *Comm. ad* 1 *Petr.* v. 8.

[3]) *Resp. ad* SADAL. Tom. VIII. p. 108a. [4]) *Comm. in Gal.* I. 2.

§ 2. *Ecclesiae definitiones.*

Ecclesiae definitiones potiores in Calvini scriptis occurrunt sequentes:

1. Roganti in catechismo: »quid est Ecclesia?" respondetur: »corpus ac societas fidelium, quos Deus ad vitam aeternam »praedestinavit [1]."

2. Ecclesia est corpus eorum, qui »a Deo electi omnes in »Christo connexi sunt, ut quemadmodum ab uno capite pen»dent, ita in unum velut corpus coälescant, ea inter se compage »cohaerentes, qua eiusdem corporis membra: vere unum facti, »qui une fide, spe, charitate, eodem Dei spiritu simul vivunt [2]."

3. Ecclesia »universalis est hominum multitudo in orbe dif»fusa, quae unum se Deum et Christum colere profitetur..... »consensionem habet in verbo Dei, atque ad eius praedicatio»nem ministerium conservat a Deo institutum [3]."

4. Ad Sadoletum scribit: »Nunc si definitionem tua verio»rem recipere sustines, dic posthac, societatem esse omnium, »quae per totum orbem diffusa, per omnes aetates dispersa, »una tamen Christi doctrina et uno spiritu colligata, unitatem »fidei ac fraternum concordiam colit atque observat [4]."

5. Ecclesia est »coetus, in quo verbum Dei praedicatur, »nomen Dei pure invocatur, et sacramenta administrantur [5]."

6. Est Ecclesia »universalis collecta ex quibuscunque genti»bus multitudo, quae intervallis locorum dissita ac dispersa, in »unam tamen divinam doctrinae veritatem consentit et eiusdem »religionis vinculo colligata est [6]."

Denique Ecclesiam adesse fatetur, ubi »populi sui reli»quias, utcunque dispersas atque disiectas mirabiliter Dominus »conservat. Quatenus permanent aliquot Ecclesiae symbola: at»que ea praesertim, quorum efficaciam nec Diaboli astutia, nec »humana pravitas destruere potest [7]."

---

1) *Catech. Genev.* Tom. VIII. p. 16a.
2) *Inst.* IV. 1. 2. 3) *Inst.* IV. 1. 7.
4) *Resp. ad* SADOL. Tom. VIII. p. 108a; de visibili Ecclesia sermo fit, ut clamant haec eius verba: „Scis hoc, Sadolete, nos nihil aliud conari, quam, ut „instauretur aliquando vetusta illa Ecclesiae facies."
5) *Inst.* IV. 1. 7. 6) *Inst.* IV. 1. 9.
7) *Refut. Hollandi* Tom. VIII. p. 490a.

Sine ulla vocula addita definitiones illas mere descripsimus, opinati volupius fore lectori, si ipsissima Calvini verba sibi ob oculos posita haberet. Cave tamen, ne nimium istiusmodi definitioni ponderis tribuas. Magniloqua verba sunt, usu trita et divulgata, quae tamen quam parum omnino proficiant ad eius de Ecclesia sententiam indagandam, hoc ipsum caput luculenter ostendet.

§ 3. *Imagines, sive figurae, quibus Ecclesiae notio illustratur.*

»Ecclesia mater est, in cuius sinu aggregari vult Deus filios »suos, non modo, ut eius opera ac ministerio alantur, quamdiu »infantes sunt ac pueri, sed cura etiam materna regantur, do»nec adolescant, ac tandem ad fidei metam perveniant. Haec »enim, quae Deus coniunxit separari fas non est; ut, quibus »ipse est pater, Ecclesia etiam mater sit, neque id sub Lege »modo, sed etiam post Christi adventum [1]." Et profecto nullibi melius, edocemur, quam in illa »matris elogio, quam utilis »sit Ecclesiae cognitio: quando non alius est in vitam ingressus, »nisi nos ipsa concipiat in utero, nisi pariat, nisi nos alat suis »uberibus, denique sub custodia et gubernatione sua nos tuea»tur, donec exuti carne mortali, similes erimus angelis [2])." Prae reliquis omnibus matris illa imago Calvino in deliciis fuit, quae quum egregie cum eius cogitandi ratione quadrat, mirum dictu est, quantum faciat ad eius de Ecclesia sententiam penitius perspiciendam [3]); quum praesertim iam origine sua imago illa clare ostendit, quam proxime Calvinus in talibus a Romanensibus absit. Quae praeterea huc pertinent longe minoris momenti sunt, quare verbo monuisse sufficiat saepius apud eum celebrari spiritnale Christi et »Ecclesiae coniugium [4]);" adeoque Ecclesiam nobis proponi sub imagine »sponsae Christi [5])." Dicitur porro »Euangelii doctrinae fida custos et interpres [6])," atque ad Pauli instar frequenter magnifico ornatur titulo »columnae

---

1) *Inst.* IV. 1. 1. 2) *Inst.* IV. 1. 4. Cf. CYPRIANI, *de unitate Ecclesiae*. c. VI.

3) Cf. SCHENKEL. *Das Wesen des Protest.* III. p. 177. CORBIÈRE. *Théorie de l'Eglise d'après Calvin.* Strasb. 1858. p. 7, 8. SCHWALB. *Etude compar. des doctrines de Mél., Zwingle et Calvin.* Strasb. 1859. p. 132. DÉVISME. *Des principes d'organisation Eccl. de Calvin* Strasb. 1888. p. 4.

4) *Inst.* IV. 19. 35. cf. IV. 19. 2. 5) Ib. IV. 19. 35.

6) *De Scandalis.* Tom. VIII. 88b.

»ac baseos veritatis[7].” Celebratur tanquam »corpus Christi[8],” vocatur Ecclesia «domus Dei[9],” »haereditas Domini[10],” »no-»vale Dei[11],” »ovium grex[12],” est denique »civitatis instar, »cuius incolae sunt fideles[13].”.

§ 4. *Ecclesia visibilis atque invisibilis, et mutua utriusque ad invicem relatio.*

Bifariam ab initio Ecclesiologiam suam Calvinus despertivit, et serie agit de duplici Ecclesia, »illa invisibili, solius Dei oculis »conspicua, ... hac, quae respectu hominum Ecclesia dicitur[1].” Eundem ordinem et nos igitur in disquirendo observabimus, et serie Calvini explorabimus mentem de Ecclesia invisibili atque visibili, et de utriusque ad invicem mutua relatione.

a. Ecclesia invisibilis est »corpus ac societas fidelium, quos »Deus ad vitam aeternam praedestinavit[2],” »congregatio eorum, »quos arcana sua electione adoptavit in salutem[3],” adeoque »turba electorum[4],” »Ecclesia, quae revera est coram Deo, »in quam nulli recipiuntur, nisi qui et adoptionis gratia filii »Dei sunt et Spiritus sanctificatione vera Christi membra. Ac »tunc quidem non tantum sanctos, qui in terra habitant, com-»prehendit, sed electos omnes, qui ab origine mundi fuerunt[5],” »in quorum numero *ergo* comprehenduntur etiam, qui morte »defuncti sunt[6].” »Nam sic electi Dei omnes in Christo sunt »connexi, ut quemadmodum ab uno capite pendent, ita in unum »velut corpus coalescunt, ea inter se compage cohaerentes, qua »eiusdem corporis membra: vere unum facti, qui una fide, spe, »charitate, eodem Dei Spiritu simul vivunt, non in eandem »modo vitae aeternae haereditatem, sed in unius Dei ac Christi

---

7) *Ant. adv. art. fac. Theol. Par.* art. 18, Tom. VIII. p. 198b; *Responsio contra* PIGH. Tom. VIII. p. 132b.

8) IIa *def. contra* J. WESTPH. Tom. VIII. p. 666a; *Comm. ad Eph.* 1. 22. et *ad* 1 *Co.* XII. 12. al.

9) *Comm. ad Hebr.* III. 3, *ad* 1 *Tim.* III. 15 et *ad* 1 *Pe.* II. 5.

10) *Comm. ad* 1 *Pe.* V. 3.

11) *Ep. Calvini.* Tom. IXb. p. 123a.

12) *Inst.* IV. 2. 3. 13) *Comm. ad Col.* IV. 5.

1) *Inst.* IV. 1. 7. 2) *Cat. Genev.* Tom. VIII. 16a.

3) *Resp. ad* SADOL. Tom. VIII. 108a. 4) *Cat. Genev.* Tom. VIII. 16a.

5) *Inst.* IV. 1. 7.

6) *Inst.* IV. 1. 2. cf. *Resp. ad versipell. quendam.* Tom. VIII. 310b.

»participationem vocati [7]." Est haec Ecclesia *invisibilis*, quatenus »reprobos ab electo discernere solius Dei est, non nos»trum [8]," et »soli Deo permittenda est cognitio Ecclesiae »suae [9]," proptera quod »singularis Dei Ipsius praerogativa est nosse, qui sui sint [10])" Fideles et reprobati ita inter se permixti sunt, ut suae quisque ipsius electionis nemo certior fieri possit, nisi »interiore vocatione [11])" cor eius excitet Deus, et, quoad habitum externum, »nullum saepe discrimen inter filios »Dei et profanos, inter proprium eius gregem et fera animalia »notari possit [12]). Non est tamen, quod idcirco tristitia nos affici pateremur; coram Deo enim non »ideo deterior est fides »nostra, quod incognitam apprehendit: quando hîc non iube»mur reprobos ab electis discernere, sed certo statuere in ani»mis nostris, omnes eos, qui Dei Patris clementia per Spiritus »scti efficaciam, in Christi participationem venerunt, in Dei »peculium ac propriam possessionem segregatos, ac quum simus »in eorum numero, tantae gratiae nos esse consortes [13])." Non floret haec Ecclesia ingenti membrorum copia, »nam exi»guus numerus et contemptibilis latet sub ingenti turba, et »grana tritici pauca teguntur paleae congerie [14])." Denique huius »Ecclesiae fundamentum esse arcanam illam electionem [15])" et res ipsa clamat, et in loco, quem citavimus, diserte testatur Calvinus.

b. Ecclesia visibilis invisibili illi, de qua diximus, veluti e latere apposita est, quas ne uti inter se confundas atque permisceas bene cavendum est. Etenim a coelesti illa simul atque terrestri congregatione, quam neque temporis premit definitio, neque finibus includit locorum extensio, longe diversa est alia illa societas, »quae respectu hominum Ecclesia »dicitur [16])", quae non mente tantum cernitur, sed oculis etiam mortalibus conspiciendam sese praebet, quatenus congregatio est eorum, qui »unum se Deum et Christum colere *profitentur* [17])" et quae externis signaculis sive tesseris verbi sc. ministerio et sacramentorum administratione, facile et certo simil cognoscitur. Quum autem omnis sequens disquisitio nostra unice de visibili

---

7) *Inst.* IV. 1. 2. 8) *Inst.* IV. 1. 3. 9) *Inst.* IV. 1. 2.
10) *Inst.* IV. 1. 8. 11) Ib. 12) Ib. 13) *Inst.* IV. 1. 3. cf. IV. 1. 7.
14) *Inst.* IV. 1. 2. 15) *Inst.* IV. 1. 3.
16) *Inst.* IV. 1. 7. 17) *Inst.* IV. 1. 7.

illa Ecclesia aget, amplius hic de ea disserere supersedemus, id magis referre nostra putantes, ut,

c. quaenam inter utramque intercedat relatio, paullum accuratius inquiratur. In re autem tam dubia, tam implicata et contorta parva requiritur digressio, quae viam nobis muniat ad Calvini de ea re opinionem rite aestimandam. In Euangeliis synopticis, praesertim in Logiis a Matthaeo, ut videntur, collectis, id maxime Iesum sibi voluisse, edocemur, ut bene singuli intelligerent homines, ad quid essent a Deo destinati, quare ipse, perfectissimum humani generis exemplar, idealis hominis imaginem aequalibus proposuit, et quasi internam animi sui conscientiam atque conditionem depinxit aliis, atque explicuit. In eo autem Euangelio, quod est ordine quarto, homines ad perfectitudinis metam evecti non tam singuli seorsim cogitantur, quam ét omnes potius inter se, ét cum Christo quasi vinculo communi arctissime coniuncti. Idem quoque Paulus voluit, nisi quod coniunctionem illam non tam in origine sua et veluti nascentem, quam perfectam potius et absolutam spectare solet. In 4° euangelio singuli Christi fideles in unum corpus coälescunt; apud Paulum iam coäluerunt in unum, et ipsum potius corpus, quam singula eius membra, ab oculos versatur. Bene igitur ante omnia tenendum est N. T. librorum auctores ubique, paucissimis forsan locis exceptis, ad Christi instar idealem rerum conditionem ét ipsos volvisse animo, ét incitamenti loco proposuisse aliis. Quodsi hic illic quaedam apud Paulum, alios, occurrunt, de quibus dubii haeremus, sintne ea ad perfectum Ecclesiae exemplar, an vero ad conditionem temporis, quo vivebant, referenda, obvium est dubitationem illam cohaerere cum eorum regni messiaci proxime instantis exspectatione. Quod apostolorum aetatem excepit saeculum ubiubi nasci vidit Ecclesiolas, in dies numero auctas et robore, sibi invicem ἀνυπευθύνους, plenissima gaudentes autonomia, communi vero coniunctas origine, eodem, quo tendebant, fine, magis etiam simili contra communem hostem indefesso certamine. Mox in iisdem illis Ecclesiolis furtim primum, mox laete propulullaverunt catholicae Ecclesiae semina, quae Cypriani demum tempore eodemque fautore maxime ac patrono ad maturitatem pervenit. Qualis autem catholica ista Ecclesia? Splendidis adornata epithetis unitatis, sanctitatis, apostolicitatis Ecclesia catholica humana fallibilitate expertem se solam in peccatorem salutem conferre

posse venditabat, Ecclesia ἁγία καὶ ἄμωμος, μὴ ἔχουσα σπῖλον ἢ ῥυτίδα, quam Paulus, tanquam idealis Ecclesiae perfectum auguraverat olim in consummationem dierum, adesse iam credebatur et apparuisse in terra. Non alta tantum fovebatur spes Ecclesiam aliquando unam, sanctam, infallibilem fore, sed esse eam sanctam, esse iam unam, esse iam infallibilem invita ratione firmiter erat credendum. Idearum autem naturae leges nemo impune infringit. Exstincta igitur et suffocata perfectioris Ecclesiae conditionis spe atque incitamento, Ecclesiam, quae nondum perfectam se esse negabat praefracte, quantum a perfectitudinis meta abesset, quin imo in dies recederet magis, in ipsius Ecclesiae depravatione luculenter natura docuit. Gravissimum vulnus, quod celari diutius non poterat, detexerunt tandem Reformatores, et qui sub renascente euangelii luce papisticis restiterunt, in eo potissimum omnem operam navaverunt, ut male mulcata tandem abiret et omnium risui traderetur pravissima illa Ecclesiae notio, qua homuncionibus suis fucum faciebant Romanenses. Verumtamen levius erat rimatum aedificium, destruere, quam novum erigere et sartum tectum curare. Plerique inter eos ita medicinam afferre conati sunt, ut duplicem constituerent Ecclesiam, visibilem atque invisibilem. Haec veluti spirituale iis erat institutum, in quo fides regnat, quod cor hominum et animum spectat, nulla denique temporis locive circumscriptum definitione, idealis illius societatis nobis repraesentat cogitationem, cuius splendida sanctitas in Ecclesiam visibilem, ceu in speculum nondum satis expolitum, repercuteretur. Egregie sane contra Romanenses, nisi quod partim vetustum errorem excutere nondum potuerunt, et in eo, quod idealem illam societatem, quamvis nostris oculis non conspicuam, exstare tamem et adesse iam una cum adversariis confiterentur, vim vere vitalem Ecclesiae instillare minime iis contigit. Idealem Ecclesiam exstare iam adesseque in coelo atque in terris ét Romanenses, ét inter Protestantes longe plurimi unanimi docebant consensu. Hoc inter eos intererat, quod visibilem eam, et in Catholica quasi palpabilem esse Ecclesiam illi, hi contra fugere eam conspectum et latere arbitrabantur. Idealis Ecclesia, temporis saltem ratione habita, tum denique aderit, quum omnes eius socii Christi perfectissimum assecuti exemplar absque omni ruga et macula puri in Dei maiorem gloriam fraterno amore erunt coniuncti, et »communis totius generis hominum concilia-

»tio et consociatio [18])" non pium amplius votum erit, sed res —; quam idealem conditionem donec frustra quaeris, divinare liceat faustisque ominibus Ecclesiae perfectum prosequi, nefas erit tamen invita ratione atque experientia, adesse, quod abest, statuere. Neque Calvinum felicius scyllam enavigasse e praecedentibus iam apparet, quod levius sane ferendum, nisi alteri quoque scopulo impinxisset. Nimirum, quum apud ceteros ad invisibilem Ecclesiam eodem semper sese referebat modo visibilis, quo realis perfecti cuiusdam apparitio ad perfectum illud ipsum, nullum saltem inter utramque intercedebat discrimen fundamentale, adeoque in dies magis illo discrimine sublato, assequi alteram altera lentissime poterat, sed et certissime. Similis exitus Calvino non patebat, reprobationis dogmate ei praeclusus. Etenim, si Ecclesiam definias corpus electorum, quos Deus ad vitam aeternam praedestinavit, visibilis Ecclesia ad eam perfectitudinis metam perveniet nusquam, ut, quod in Ecclesia invisibili sui prostat exemplar perfectissimum, attingat perfecte, nisi rationem invenias, qua aut omnes, qui in Ecclesia visibili membra adscripta sunt, in electorum turbam recipiantur, aut eiiciantur ex Ecclesiae societate ad unum omnes, quos reprobavit Deus. Prius illud nullo pacto fiet unquam, quod electio a solo Dei beneplacito, non autem a hominum voluntate pendet. Audi eum respondentem querentibus: »esse »igitur, cur cum Deo expostulent homines, si nudo Eius arbi»trio citra proprium meritum in aeternam mortem praedesti»nantur. Eiusmodi," inquit, »cogitationibus, si quando piis ho»minibus in mentem veniant, ad frangendos eorum impulsus, »vel hoc uno satis armabuntur si reputent, quantae sit impro»bitatis causam divinae voluntatis duntaxat percontari, quum »omnium, quae sunt, ipse sit causa, et merito esse debeat. »Adeo enim summa est iustitiae regula Dei voluntas, ut quic»quid, eo ipso quod vult, iustum habendum sit. Ubi ergo quae»ritur, cur ita fecerit Deus, respondendum est, quia voluit [19])." Unde satis superque evincitur, hominum in ea re conatus ne tantillum quidem valere, adeoque ne vel quamtumvis assidua, pura et in suo genere perfecta *verbi praedicatio*, neque perpetua et ad Christi mandatum instituta *Sacramentorum administratio*,

---

18) CICERO, *de officiis* I. 41.
19) *Inst.* III. 23. 2. cf. III. 23, 5, 6.

neque religiosissima *cura pastoralis et institutio*, nec denique severissima et rigidissima *disciplina* id sibi posse, ut vel unum hominem ab exitio atque interitu avertant. Quod superesset argumentum, eo forsan supremum Dei consilium tendere, ut omnes *secundum Dei voluntatem absconditam* ad aeternam aliquando beatitudinem pervenirent, vehementer Calvini obstreperet sententiae, qui de electis testatur, eorum tam exiguum esse numerum, ut sint veluti pauca tritici grana in magna paleae congerie [20]). Quaestio restat, num e Calvini mente possint hypocritae e visibilis Ecclesiae societate eiici aliquando. Si acu rem tangere nobis contingit, ad hanc quoque quaestionem negando respondendum erit. Qui enim hypocritam eiicies, nisi vere fidelem a ficto queas dignoscere? Id autem vehementer negat Calvinus, et omnem in ea re diiudicandi facultatem a hominibus abiudicat. »Reprobos ab electis discernere solius Dei est, non nostrum [21]), »et nullum saepe discrimen inter filios Dei et profanos notari »potest [22]), nam et qui perditissimi videbantur, planeque deplo»rati fuerant, eius bonitate in viam revocantur, et, qui prae »aliis stare videbantur, saepe corruunt [23])." Quodsi verum est, nemo serio unquam contendet sane penes Ecclesiam esse proluviem, qua inquinatur, eructari; eritque igitur a Schenkelio dissentiendum, ubi dicit Ecclesiam visibilem esse apud Calvinum quoque »die empirische Erscheinung der idealen Ecclesia invisi»bilis [24])." Ecclesia invisibilis apud Calvinum seiunctum quid habendum est, atque sepositum, cui nulla cum Ecclesia visibili alia intercedit cohaerentia, nisi quod 1° Ecclesiae invis. partiuncula lateat in Eccl. vis., et 2° Eccl. vis. instrumentum sit et adminiculum, quo uti solet Deus in Eccl. invis. promovenda. Quod tamen noli accipere, quasi instrumentum esset *necessarium*, adeo ut ad Eccl. invis pervenire posset nemo nisi per Eccl. vis. Saepe enim Deus utitur »interiore Spiritus illuminatione, (apud eos), quos, nulla interce»dente praedicatione, veritatis cognitione donavit [25])," et, si qui »sint, qui acerbe ferant se rebus carere iis, quos ad consolationem »salutemque suam maxime necessarias arbitrabantur, Deus vir»tute spiritus sui in iis agit, suppletque id, quod ipsos deficit [26])."

---

20) *Inst.* IV. 1. 3. 21) Ib. 22) *Inst.* IV. 1. 8.
23) Ib. 24) HERZOG. *Real-Encyclop.* in voce: *Kirche.*
25) *Inst.* IV. 16. 19.
26) *Hom.* III. *de conv. in Eccl.* Tom. VIII. p. 476b, cf. *Comm. ad Rom.* XI. 2, *Cat. Genev.* Tom. VIII. p. 16a; *Resp. ad versip. quend.* Tom. VIII. p. 310b.

Valet hoc quoque apud infantes recens natos, qui vitae vix inchoatae finem mox imponunt, »ex qua tamen aetate omnino »aliqui servantur [27]), quos adeo ante a Domino regenerari ne»cesse est [28])," quum, »antequam nascerentur, se adoptare eos »in suos pronuntiat Deus [29])."

Duplicis illa Ecclesiae doctrina, qualem exposuit eam Calvinus, valuit procul dubio ad materialem Ecclesiae notionem cui patrocinabantur Romanenses, funditus evertendam, ipsi autem in dogmaticis de Ecclesia loco nihil fere lucis attulit. Invisibilis enim et visibilis illa Ecclesia tam misere ab eo inter se confusae sunt atque permixtae, ut saepius sibimet ipse oblocutus sit, irretiverit sese, omnem denique Ecclesiae notionem adeo implicuerit et conturbaverit, ut perspicua et dilucida eius de Ecclesia sententiae expositio frustra e scriptis ipsius quaeratur. Certo illa utriusque Ecclesiae confusio deprehenditur in interpretatione, quam de eo Apostolici Symboli articulo, qui est de Ecclesia, statim in initio IV^i^ *Inst. Rel. Christ.* libri exhibet. Dicit in § 2. articulum illum non legendum esse: »credo *in* »Ecclesiam" sqq., sed omissa praepositione: »credo Ecclesiam, »unam, sanctam, catholicam." »Ideo enim credere *in* Deum »nos testamur, quod in ipsum ut veracem animus noster se »reclinat, et fiducia nostra in ipso aequiescit: quod in Eccle»siam non ita conveniret [30])." Ecclesiam *credimus*, i. e. firmiter nobis persuasum est, »quamvis ad diruendam Christi gratiam »omnes lapides moveat diabolus..., non posse tamen extingui, »nec sterilem reddi Christi sanguinem, quin fructum aliquem »producat...... Quamvis ergo tristis vastitas, quae nobis undi»que occurrit, nihil Ecclesiae residuum esse clamet.,. sciamus, »Deum mirabiliter Ecclesiam suam, quasi in latebris servare [31])." Intelligi haec possunt et bene inter se cohaerent: Ecclesia, quae est invisibilis, quam conspicere non potes, iure suo credendi obiectum esse ponit. Mox autem misere de recto tramite deviavit, in § 3 ita pergens: »Quamquam articulus symboli ad »externam quoque Ecclesiam aliquatenus pertinet [32])." — Quinam inter Ecclesiae socios a Deo sint in electorum numerum relati, arcanum Dei est mysterium, quia tamen »aliquatenus

---

27) *Inst.* IV. 16. 17. 28) Ib.
29) *Inst.* IV. 15. 20, cf. ib. IV. 16. 7.
30) *Inst.* IV. 1. 2. 31) Ib. 32) *Inst.* IV. 1. 3.

»expedire providebat Deus, ut sciremus, qui nobis habendi pro »ipsius filiis essent, hac in parte se captui nostro accomodavit. »Et quoniam fidei certitudo neccessaria non erat, quoddam »charitatis iudicium eius loco substituit, quo pro Ecclesia mem»bris agnoscamus, qui et fidei confessione et vitae exemplo, et »sacramentorum participatione eundem nobiscum Deum ac Chris»tum profitentur [33])." Vides, pro Dei filiis agnoscuntur, qui eum profitentur tantummodo, et utraque Ecclesia egregie inter se permiscetur. — Legimus in vicinis: »usu venire potest, ut »quos non omnino putabimus dignos esse piorum consortio, »tractare tamen instar fratrum et fidelium loco habere debea»mus, propter communem Ecclesiae consensum, quo feruntur et »tolerantur in Christi corpore [34])." Quibus iterum verbis misere sese impedivit, neque tantum visibilem Ecclesiam cum invisibili fuse complicuit, sed externam quoque Ecclesiae participationem cum fidei in vita conturbavit professione. — Denique in explicando articulo de »Communione sanctorum" in similem incidit errorem, ubi sanctissimam illam consociationem, quam in Symb. Ap. confitetur unice fere ad Ecclesiam *vis.* refert, etsi soli *invis.* Ecclesiae proprie iure haec denominatio competit [35]). Alibi rursus in contrarium vitium induci se passus est, nec desunt omnino loci, in quibus Ecclesiam visibilem invisibili substitutam deprehendimus. Ecclesia *vis.*, ut infra videbimus, suas habet notas, ministerium verbi et sacramentorum administrationem. Ubi ergo notae illae desunt, desiit Ecclesia. Iam defuisse signacula ista per continuum saeculorum seriem Ecclesiae Romanae libenter noster concedit. »Pro verbi," inquit, »ministerio per»versa et mendaciis conflata illic regnat gubernatio; in locum »Coenae Domini foedissimum sacrilegium subiit, — cultus Dei »non ferenda superstitionum congerie deformatus, doctrina tota »sepulta et explosa est, publici conventus idololatriae scolae »sunt [36]);" — ergo fatendum fuisset: Cessavit Ecclesia. Calvinus tamen suis ipsius irretitus laqueis idipsum negat, et recalcitrando evadere intendit. Censuit enim »vehementer errare eos, »qui ad pastores referunt, quod de perpetua Ecclesiae duratione »promittitur. Neque enim si desint pastores, ideo protinus de»sinere Ecclesiam. Latet," inquit, »interdum fugitque homi-

---

[33]) *Inst.* IV. 1. 8. [34]) *Inst.* IV. 1. 9. [35]) *Inst.* IV. 1. 3.
[36]) *Inst.* IV. 2. 2.

»num oculus [37].“ An ita sit, e re ipsa fiat aestimatio. Verbi ministerium et sacramentorum administrationem solis pastoribus permittit [38]. Ipse fatetur pastores per aliquos saecula defuisse, et cum iis verbi sacramentorumque ministerium, i. e. verae Ecclesiae notas; — necessarie ergo sequitur, — ipsam quoque Ecclesiam interiisse. Quid respondet Calvinus? Latuerit Ecclesia, neque oculis conspiciendam sese praebuerit, nihilominus tamen adfuit. Quid quaeso fucum facere est, nisi hoc sit? Quid absurdius cogitari potest, quam contendere, latere interdum et evanescere e conspectu Ecclesiam, quam definis *visibilem*, cuius adeo privus et proprius character in eo situs est, quod conspici et veluti palpari potest, — et tunc laete exclamare: »Nos »contra asserimus Ecclesiam nulla apparente forma constare »posse [39].“

Dicta sufficient, ut opinor, ut apertum sit unicuique, quam infeliciter rem suam adversus Romanenses egerit Calvinus. Obvium est Ecclesiam illam invisibilem, quam fides credendam commendat, nihil omnino ad ipsam Ecclesiam pertinere, et inquantum praesens iam adesse credatur, merum esse cogitationis figmentum. Utramque Ecclesiam adeo temere inter se confudit, ut limpidum nihil, nihil quod perspicuum sit atque dilucidum, in Ecclesiae notione remaneat. Quod peius etiam, tam praeter modum invisibili Ecclesia oblectabatur, ut dehinc omni fere de spirituali Ecclesiae notione deposita sollicitudine materialem potius, a Romanensibus mutuatam, presserit adversus Anabaptistas, et longe prae spirituali extulerit. Ne tamen aequo plus Calvinum urgeamus, nam illud: Oedipus quoque ipse laboret, eo praecipue tempore de Ecclesiae notione constituenda valebat [40]. Quodsi quis putet copiosius haec esse a nobis exposita, quam totius disquisitionis ratio suadebat, rite aestimet velim, quanti

37) *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. p. 287b.

38) *Antid. in decr. conc. Trid.* S. VII. art. 10. Tom. VIII. p. 257b: „Nemo „sanus Christianos omnes in verbi Sacramentorumque administratione pares facit, „non solum, quia decenter et ordine geri in Ecclesia omnia decet, sed etiam „quod singulari Christi mandato ad eam rem ordinantur ministri.“

39) *Praef. ad Franc.* V. *in Inst. rel. Christ.* p. 2.

40) Cf TH. HANSEN. *Die Luth. und reform. Kirchenlehre von der Kirche.* S. 81. MÜNCHMEYER. *Das dogma von der sichtb. und unsichtbaren Kirche.* S. 69. SCHENKEL o. l. III. 179. HOFFMAN. *Symbolik* S. 462. DÉVISME o. l. p. 4. CORBIÈRE o. l. p. 6. SCHWALB. o. l. p. 131. WEBER. *Exposé des vues Eccl. de Zwingle et de Calvin.* Strasb. 1847, p. 28.

invisibilis Ecclesiae doctrina faciunda sit in Calvini de Ecclesia sententia exploranda.

§ 5. *Relatio Ecclesiae ad »Regnum Coelorum.*"

Regni Coelorum imagine, a theocratia Israelitarum mutuata, usum fuisse Iesum, ut ratione aequalibus suis comprehensibili beatam illam humani generis indicaret conditionem, quae, eius praesertim apparitione inchoäta, infinitae perfectionis capax, et verae humanitatis cum Deo coniunctae charactere conspicua, tum creatoris gloriam, tum creaturarum promoveret beatitudinem, Calvini tempore nondum satis intelligebatur. Sententiae cosmologicae et eschatologicae, quibus aetas illa favebat, in causa fuerunt, cur ad literam solebant de regno Coelorum Iesu effata accipere. Regnum Dei, a Christi inde adventu praeparatum, tunc demum instauratum iri arbitrabantur, quum in consummatione rerum ipse Christus, adversario suo victo atque subacto, iudex sederet de vivis atque mortuis. Eo magis autem in Calvino laudandum est, quod multo melius illius regni indolem perspexisse apparet, ubi S. Script. interpres dogmatices minus irretitus erat laqueis. Vidit Calvinus regnum Coelorum, quale nunc iam praeparatur, complexum esse religiositatis et moralitatis, abstracte sumptum. Locutionibus *regni Coelorum* [1]), sive *regni Dei* [1]), sive *regni Christi* [2]), sive τῆς βασιλείας [3]) promiscue uti solet, quarum duas subinde colligit in unam: regni *Dei Christique*, ubi illud *Christique* additur, ut intelligatur, »Deum »Filio suo regnum tradidisse, ut per Ipsum nos adipiscamur, »cett. [4])." Indicari autem formula illa opinatur, »quicquid huc »spectat, et ad hunc finem destinatur, ut inter nos regnet »Deus [5])," sic v. c., ut hoc exemplo utar, in notissima Christi parabola verba: »regnum Coelorum simile est verriculo" permutat cum: »Euangelii praedicatio simile est verriculo [6])," ubi ergo per regnum Coelorum euangelii praedicationem intelligendam esse censet. Simili quoque significatione dictionem illam

---

1) Cf. *Comm. in Matth.* III. 2, et *ad Gal.* IV. 26.
2) Cf. *Comm. ad Ioän.* XVIII. 36. *Comm. ad Col.* I. 13 et *ad 2 Tim.* IV. 1.
3) *Inst.* III. 20. 42. 4) *Comm. ad Eph.* V. 5.
5) *Comm. in 1 Co.* IV. 20.
6) *Comm. in Matth.* XIII. 47 (*Harm. Sect.* XII. § 111.)

accipit, ubi »vitam spiritualem [7]," »vitae novitatem [8]," »mundi terrenaeque vitae abnegationem [9]," »superationem Antichristi [10]," »restitutionem," denique, »ad beatam vitam adeoque veram et »aeternam felicitatem [11]" per eam designari affirmat. De huiusce autem regni ad Ecclesiam relatione quaenam Calvini fuerit sententia, nonnisi levissima vestigia deprehendi possunt. Nonnihil lucis afferunt eius interpretatio verborum: *οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ*, quae in hunc modum explicat: »Nemo »vere aggregari *in Ecclesiam* potest, ut censeatur inter Dei »filios, quin prius renovatus sit [12]." In censum quoque hic venit: »Regnum Dei tuentur principes, dum suum patrocinium *Ecclesiis* commodant [13]"; porro, quod e Pauli dicto: »Non est »regnum esca et potus," concludendo deducit: igitur »non esse »ferendos illos, qui ob eas *Ecclesiam* perturbant [14]," denique Dei regnum quoque spectare videtur, ubi dicit: »regnat enim »Deus iam nunc *in Ecclesiis suis*, quas agit Sp. scto [15]." In quibus locis, etsi permutari inter se subinde Ecclesia et regnum Coelorum videantur, tamen, ratione habita eorum, quae in initio huius § de abstracta huius formulae significatione diximus, satis tute statuere posse nobis videmur, e mente Calvini Ecclesiam obnubilatam Dei regni in mundo apparitionem esse, ac veluti praeparationem habendam. Quodnam autem regno Coelorum, concrete sumpto, cum Ecclesia invisibili, qualis supra exposita est, intercederet discrimen, prorsus non videmus.

§ 6. *Ecclesiae indoles.*

Si bene attenditur, quam arcte inter se cohaereant anima cuiusdam atque indoles, procul dubio acu rem tetigit Schenkelius, ubi Ecclesiae Calvini characterem ita definivit, ut nihil aliud fuisse eam censeat, quam »eine orthodoxe Lehrgemeinschaft";

---

7) *Comm. in Ioän.* III. 3. et *Matth.* XX. 1 (*Harm. Sect.* XVI. § 162.)

8) *Comm. in Matth.* III. 2. (*Harm. Sect.* IV. § 27) et c. XIII. 44 (ib. *Sect.* XII. § 111.)

9) *Inst.* III. 20. 42.

10) *Psychopannychia.* Tom. VIII. 348b.

11) *Comm. in Matth.* III. 2. (*Harm. Sect.* IV. § 27.)

12) *Comm. ad Ioän.* III. 3.

13) *Comm. ad Ioän.* XVIII. 36.

14) *Comm. ad Rom.* XIV. 17.

15) *Psychopannychia* Tom. VIII. p. 348b. cf. *Comm. ad Ioän.* III. 3, *ad* c. XVIII. 36 et 2 *Tim.* IV. 1.

totidem enim verbis ipse Calvinus testatur: »*anima Ecclesiae est salvifica Christi doctrina* [1]." Quae verba, quam egregie Calvini de Ecclesia mentem explicent, melius etiam intelligitur, ubi de Dei in Ecclesia condenda consilio in hunc modum disserentem eum audimus: »quia ruditas nostra et segnities, (addo etiam »ingenii vastitatem) externis subsidiis indigent, quibus fides in »nobis et gignatur et augescat, et suos faciat progressus usque »ad metam, ea quoque Deus addidit, quo infirmitati nostrae »consuleret: atque *ut vigeret Euangelii praedicatio thesaurum »hunc apud Ecclesiam deposuit: pastores instituit ac doctores, quo»rum ore suos doceret:* eos authoritate instruxit: nihil denique »omisit, quod ad sanctum fidei consensum... faceret [2]." Et, quasi nondum perspicua satis haec essent ab eo exposita, et dubio locum relinquerent, in vicinis apertius etiam eandem sententiam elocutus est his verbis: »videmus, ut Deus, qui posset »momento suos perficere, nolit tamen eos adolescere in virilem »aetatem, nisi educatione Ecclesiae. Videmus modum exprimi: »quia pastoribus iniuncta est Coelestis doctrinae praedicatio. »*Videmus omnes ad unum cogi in eundem ordinem, ut mansueto »et docili spiritu regendos se doctoribus in hunc usum creatis per»mittant* [3]." Neque esse haec verba de institutione catechetica intelligenda, sed de universa Ecclesiasticae societatis participatione, de omni nostra in Ecclesia Dei conversatione, extra dubitationem haec eius verba ponunt: »Non patitur nostra infir»mitas *a scola nos dimitti, donec toto vitae cursu discipuli fueri»mus* [4]." Hic enim »doctrinae usus est, non tantum ut rudes »initiet,.... sed ut, qui iam eruditi sunt, magis ac magis con»firmet. Ideo nos assidue incumbere oportet in studium di»scendi, ut fides nostra toto vitae cursu augescat [5]." »On voit »déjà par là," ut recte monuit Corbière, »combien l'idée Ca»tholique de l'Eglise avait encore de prise sur Calvin, comment »elle lui apparaissait bien plus comme canal de grâce, comme »medium gratiae, comme mère des fidèles, comme école, que

---

1) *Inst.* IV. 12. 1. cf. *Praef. in Comm. ad Ioän.* Tom. VI^b. p. 1, 2. cf. *Prael. in Ierem.* Tom. IV. p. 415.

2) *Inst.* IV. 1. 1. cf. *Prael. in Ezech.* VII. 26. Tom. IV^b. p. 65^b. et II. 5, 6. ib. p. 21. et *Comm. in Ep. ad Hebr.* III. 2. Tom. VII. p. 528^a et c. VIII. 11. ib. p. 55.

3) *Inst.* IV. 1. 5. 4) Ib.

5) *Comm. in* 1 *Io.* V. 13. Tom. VII^b. p. 77^a.

»comme société de Chrétiens unis par une même foi, et vivant »d'une même vie [6])." Libenter concedimus sexcenties Calvino, ubi de Ecclesia sermo fit, in ore esse denominationes, quales sunt »societas [7])," »corpus [8])," »unitas [9])," »congregatio [10])," »coetus [11])." Audimus eum strenue contra Rom. euangelii libertatem defendentem: »nullo modo concedendum esse Ecclesiam in pastorum coetu consistere [12])," et probe circumspiciendum, »ne quid de »communi Ecclesiae iure et libertate imminuatur [13])." Nihilominus tamen firmiter nobis persuasum est, Ecclesiam illam, in qua ubiubi pellucet »coelestis illa doctrina, *quae* speculum *est*, »in quo se Deus conspiciendum nobis offert [14]);" »quae in unam »doctrinam consentit et eiusdem religionis vinculo colligata est [15])," non veri nominis *societatem* esse, sed *scolam* potius *doctrinalem*, »in quam omnes ad unum in eundem ordinem cog*imur*, ut man»sueto et docili spiritu regendos *nos* doctoribus permitti(anus) [16]);" *externum medium gratiae*, *institutum*, quo ad aeternam salutem perducamur, quatenus »veritatem, dum in Ecclesiae sinu con»tinemur, semper nobis constaturam securi simus [17])," et tan»tum possit Ecclesiae (*illius*) participatio, ut nos in Dei societate »contineat [17])." »Si enim salutari eius doctrinae subiiciamur, »sequitur ipsum nobis affuturum [18])." Scolae fuit, quam societati similior, Ecclesia ista, »quae initium quidem facit a doctrinae, »quae veluti Ecclesiae anima est [19])" habenda; de qua statuit illam demum veram esse Ecclesiam, quae fida est custos verbi

---

[6]) CORBIÈRE. *Théorie de l'Eglise d'après Calvin.* p. 9. cui adstipulatur WEBER, ubi dicit: „Calvin considère l'Eglise spécialement comme moyen de grâce, et „s'attachant exclusivement au côté divin de cette institution, il néglige complé„tement le point de vue humaine, qui est celui de la liberté, et de l'associa„tion. o. l. p. 23."

[7]) *Inst.* IV. 1. 16.

[8]) *Cat. Gen.* Tom. VIII. p. 16a. *Inst.* IV. 1. 21 et IV. 9. 7.

[9]) *Inst.* IV. 1. 2. [10]) *Cat. Gen.* Tom. VIII. 16a,

[11]) *Conf. fid. n. Gall. Eccl.* Tom. VIII. 95b. et *Refut. Holl.* Tom. VIII. 49a.

[12]) *Inst.* IV. 9. 7. [13]) *Inst.* IV. 3. 15. cf. *Comm. ad Tit.* 1. 5.

[14]) *Comm. in* 1 *Io.* 1. 23. Tom. VIIb. p. 86a. cf. *Comm. in Exod.* Tom. I. p. 545b; *Conc. in Hiob.* Tom. IIb. p. 93b; *Comm. in Tit.* II. 1. Tom. VII. 501a. et *in Hebr.* IX. 18. ib. p. 559a.

[15]) *Inst.* IV. 1. 9. [16]) *Inst.* IV. 1. 5.

[17]) *Inst.* IV. 1. 3. Observatu quoque dignum est Calvinum IVum librum Inst. Rel. Chr., qui est de Ecclesia, inscripsisse „*de externis mediis ad salutem.*"

[18]) *Comm. in Ies.* XLV. 14. Tom. IIIb. 300a.

[19]) *Comm. in Act.* II. 42. Tom. VIc. 23a.

»Dei, quae purum illud et nullo fermento infectum suo mini- »sterio conservat et ad posteros propagat [20]);" cuius regimen »nihilo magis a doctrina potest avelli, quam nostrum unusquis- »que a propria anima [21]);" quoniam »hoc sensu regimen tribui- »tur Ecclesiae...., quia euangelii praedicatione, quae apud eam »deposita est, spirituale est Christi sceptrum [22])." Ecclesia societas habenda est, si a parte hominum spectatur. Calvinus, qui in Ecclesia constituenda unice fere Dei rationem habuit, qui in Ecclesia gignenda »se ad captum nostrum accomodans, »pro admirabili sua providentia, modum praescripsit, quo pro- »cul seiuncti ad eum accederemus [23]);" Calvinus, inquam, istiusmodi charactere signavit Ecclesiam, ut esset *institutum doctrinale a Deo in externum ad salutem medium conditum* [24]).

§ 7. *Ecclesiae fundamentum.*

Quoniam igitur Ecclesia Calvini institutum potius habenda est, quam societas, maluimus hanc nostram § inscribere »de »Ecclesiae *fundamento*," quam »de Ecclesiae *vinculo*." Utrumque eodem sane redit, sed est tamen »vinculi" vocabulum cum societatis arctius, »fundamenti" cum instituti notione magis coniunctum. Iam autem Ecclesiae Calvini fundamentum nullum aliud iactum esse, quam a Deo hominibus revelatam doctrinam, e huius Ecclesiae charactere necessarie sequitur. Saepius quidem biblicis dicendi formulis utitur, et »Ecclesiam nonnisi in »Christo fundatam esse [1])," testatur; »Christum unicum esse »Ecclesiae fundamentum [2])," »Christum coniunctionis vinculum esse factum [3]);" Christum, in sua ad Ecclesiam relatione, similem esse arbori, e quo rami extenduntur quaquaversus, soli, unde radii effulgent, sive fonti denique, unde continuo de-

---

[20]) *Resp. contra Pigh.* Tom. VIII. p. 132.
[21]) *Comm. in* 1. *Tim.* III. 2. Tom. VII. 451.
[22]) *Comm. in Ies.* XLV. 14. Tom. III[b]. p. 300[a].
[23]) *Inst.* IV. 1. 1.
[24]) Cf. Titulum IV[i] l. *Inst.* et porro: SCHENKEL o. l. III, 103 sq., 176 sq. DÉVISME. o. l. p. 4 et SCHWALB. o. l. p. 133 qui ulterius etiam, quam nos, progreditur ubi, minus recte ut videtur, dicit: „Avec une telle notion de l'Eglise „on s'étonne, que Calvin se soit séparé de l'Eglise Romaine."

[1]) *Comm. in* 1 *Co.* III. 11. [2]) Ib. cf. *Comm. ad Eph.* II. 20.
[3]) *Comm. in Rom.* XII. 4.

fluunt rivuli [4]); — sed ipse nos docet, quomodo sint ea inter se rimanda, ubi dicit: »proprie (*quidem*) unicum fundamentum »Christum esse, sed in Christo fundi Ecclesiam per doctrinae »praedicationem [5])." Ecclesia una est, »quandoquidem in unam »divinam doctrinae veritatem consentit [6])," »una Christi doc»trina colligata [7])." »Si (*igitur*) Ecclesiae fundamentum est Pro»phetarum et Apostolorum doctrina, illam tolle, quomodo amplius »aedificium constabit? Corruat ergo Ecclesia necesse est, ubi »intercidit ea religiones summa, quae sola eam continere po»test [8])." Optime haec omnia congruunt cum iis, quae supra iam monuimus: omnes ad unum in eundem ordinem cogi, ut divina imbuantur doctrina [9]). Ubi enim omnes in unum coguntur, ut doceantur, manifestum esse opinor, *doctrinae* eos vinculo esse inter se coadunatos.

Si ergo obiective *doctrina* Ecclesiae fundamentum positum est, res ipsa loquitur *doctrinae illi praestitam fidem* vinculum esse subiectivum, quod idem sibi voluisse videtur Calvinus, ubi dicit: »Deus fidei vinculo Ecclesiam coadunavit [10])." Fides autem apud eum »certa est comprehensio promissionum Dei [11])", vel quod tantundem valet, »divinae erga nos voluntatis notitia ex »eius verbo percepta [12]);" quam fidem ille demum praestare censetur, qui paratus est »veritati Dei subscribere quoties, et »quicquid et quocunque modo loquitur [13])."

§ 8. *Tituli, quibus Ecclesia ornatur.*

Haec autem Ecclesia, e mente Calvini, natura sua est:

1°. *Necessaria ad salutem*, quandoquidem »extra eius gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nec ulla salus [1])."

---

4) *Inst.* IV. 2. 6. Desumpsit haec e libello CYPRIANI „*de simplicitate praelatorum*, ut annotavit in margine Calv., qui tamen vulgo et melius „*de unitate „Ecclesiae*" inscribitur, cap. V.

5) *Comm. ad Eph.* II. 20. 6) *Inst.* IV. 1. 9.

7) *Resp. ad* SADOL. Tom. VIII. 108a cf. *Inst.* IV. 2. 5.

8) *Inst.* IV. 2. 1. cf. ib. I. 7. 2, 3, 4; *ad versip. quend.* Tom. VIII. p. 306b, et *de aeterna Dei praed.* Tom. VIII. p. 616a.

9) V. § 6.

10) *Prael. in Ioël.* III. 7. cf. *Prael. in Ezech.* XX. 40. et porro; *prael. in Ier.* VII. 22; X. 11; XXIII. 28 et *Hom. in* 1 *Sam.* Op. Tom. II. p. 49a.

11) *Ep. Calv.* Op. Tom. IXb. p. 253a.

12) *Inst.* III. 2. 6. cf. *Hom. in* 1 *Sam.* Tom. II. p. 92a et 208a.

13) *Inst.* III. 2. 7.

1) *Inst.* IV. 1. 4. cf. *Ant. adv. fac. Theol. Paris.* Tom. VIII. p. 199b.

adeo ut, »quicunque sese separant, et abscindunt sponte a »coetu fidelium, iidem sese a regno Coelorum eiiciant [2]);" »quando non alius est in vitam ingressus, nisi nos ipsa conci»piat,.. pariat,.. alat [3])." Quodsi extra Ecclesiam de salute nostra omnino desperandum est, res ipsa flagitat, ut Ecclesia, quae est sola salutifera, sit etiam.

2°. *Perpetua*, quod perspexit etiam Calvinus, ubi concedit, »fieri non posse, ut Ecclesia intercidat [4])," unde sequitur, »fieri »non posse, ut diabolus cum toto mundi apparatu Ecclesiam »unquam deleat, quae in aeterno Christi solio fundata est [5])."

3°. *Ecclesia infallibilis est*, sive quod latinius, *ab errore vacua;* confitetur enim: »veritatem, dum in Ecclesiae sinu continemur, »semper nobis constaturam, securi sumus [6])." Quae assertio quomodo accipienda sit, ipse nos docet Calvinus his verbis: »Nos si demus errare non posse Ecclesiam in rebus ad salutem »necessariis: hic sensus noster est, ideo hoc esse, quod abdicata »omni sua sapientia, a Sp. scto doceri se per verbum Dei pati»tur. Quamobrem non ex se sapiat Ecclesia, non ex se cogitet »quicquam. In hunc modum et omnibus rationis suae inventis »diffidet: in quibus autem verbo Dei nititur, nulla diffidentia »aut haesitatione vacillabit, sed magna certitudine firmaque con»stantia conquiescet [7]);" nam »Ecclesiae auctoritas verbo annexa »est, sponsa sponso, discipula magistro subiicienda est, et Sp. »sctus, qui in omnem veritatem ducit cum verbo Dei coniunctus »est [8])."

4°. *Ecclesia una est*, nam »duas aut tres invenire non licet, »quin discerpatur corpus Christi [9])." »Ecclesiae unitatem," inquit, »testamur nobis sacrosanctam esse, et anathema pronun»ciamus contra omnes, qui eam ullo modo violaverint [10])."

5°. *Ad sanctimoniam tendens.* »Verum quidem est, quod ait

---

2) *Conf. fid. n. Gall. Eccl.* Tom. VIII. p. 95b. 3) *Inst.* IV. 1. 4.
4) *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 287b.
5) *Inst.* II. 15. 13. cf. ib. IV. 1. 3, 17. et HANSEN. o. l. p. 67.
6) *Inst.* IV. 1. 2. 7) *Inst.* IV. 8. 13.
8) *Inst.* IV. 8. 13. cf. HANSEN. o. l. p. 63. CORBIÈRE. o. l. p. 10.
9) *Inst.* IV. 1. 2.
10) *De nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. p. 59b. cf. *Inst.* IV. 1. 9, 10, 12, 14, 18, 19; IV. 2. 5, 6; IV. 6. 4; IV. 9. 13; IV. 13. 14; IV. 14. 19; *de Coena Dom.* Tom. VIII. 9b; *Cat. Gen.* Tom. VIII. 16a; *Resp. ad versip. quend.* Tom. VIII. 312a; *Ep. Calv.* Op. Tom. IXb. p. 12a; *Comm. ad* 1 *Cor.* 1. 10, et HANSEN. o. l. p. 26. ut et CORBIÈRE. o. l. p. 10.

»Paulus, Eph. V. 25; Christum se ipsum tradidisse pro Ecclesia, »ut illam sanctificaret, ut sibi exhiberet gloriosam sponsam non »habentem maculam aut rugam. Niholominus tamen et istud »verum est: Dominum quotidie operari in rugis eius expolien»dis. Unde sequitur, nondum perfectam esse eius sanctitatem. »Sic ergo sancta est Ecclesia, ut quotidie proficiat, nondum »perfecta sit, quotidie procedat, nondum pervenerit ad sancti»tatis metam [11]);" quare »in vitae imperfectione toleranda multo »longius procedere indulgentia nostra debet: hic enim valde lu»bricus est lapsus, neque vulgaribus machinamentis hic satan »nobis insidiatur [12])." Ecclesia autem invisibilis sancta est, quoniam »quos elegit Deus, eos iustificat, reformatque in sanctita»tem ac vitae novitatem [13])."

6°. *Ecclesia est catholica*, quo epitheto docemur, »sicut unum »est fidelium omnium caput, ita omnes in unum corpus coales»cere oportere, ut una sit ecclesia, per totam orbem diffusa non »plures [14])." Ita sc. rogatus in Catechismo respondet noster, ceterum libenter facio cum Hansenio, ubi dicit: »Calvin lässt »sich über die Ecclesia catholica wenig oder gar nicht verneh»men: was vielleicht weniger auffallend erscheinen möchte, »wenn mann an seine Prädestinations-theorie denkt [15])." Quod in symbolo vulgo addi solet Apostolicitatis epitheton, nusquam apud nostrum laudatum inveni.

§ 9. *Notae, quibus vera Ecclesia a falsa dignoscatur.*

Ut a falsa vera discerni queat Ecclesia, ubique locorum apud Calvinum duobus hisce insignitur notis: »verbi prae»dicatione et sacramentorum administratione [1])," vel brevius etiam »puro Dei cultu [2])." »Ubicunque enim Dei verbum syn-

---

11) *Inst.* IV. 1. 17. cf. ib. IV. 1. 13, 16, 19, 21; IV. 8. 12: IV. 20. 2; *Comm. in* 1 *Co.* 1. 2. et *Psychopannychia.* Tom. VIII. p. 355b.

12) *Inst.* IV. 1. 13.

13) *Cat. Gen.* Tom. VIII. p. 16a. cf. HANSEN. o. l. p. 36.

14) *Cat. Gen.* Tom. VIII. 16a. cf. *Resp. ad* SADOL. Tom. VIII. p. 107b, 110b; *Ant. ad art. Conc. Trid* Sess. V. Tom. VIII. p. 232a; *Resp. ad versip. quend.* Tom. VIII. p. 310b et 311a. et *Inst.* IV. 1. 2.

15) HANSEN. o. l. p. 47.

1) *Antid. ad art. fac. Theol. Par.* Tom. VIII. p. 198a. *Vera Eccl. ref. ratio.* Tom. VIII. p. 279a. *Inst.* IV. 1. 7, 9; IV. 2. 3, 4. *Ep. Calv.* Op. Tom. IXb. p. 5a. passim.

2) *Refut. Holl.* Tom. VIII. p. 490a.

»cere praedicari et audiri, ubi sacramenta ex Christi instituto »administrari videmus, illic aliquam Dei Ecclesiam esse, nullo »modo ambigendum est [3]).” Quod tamen dicit, »purum verbi »ministerium et purum in sacramentis celebrandis ritum, ido»neum esse pignus et arrhabonem, ut tuto possimus societatem, »in qua utrumque exstiterit, pro Ecclesia amplexari; usque eo id »valet, ut nusquam abiicienda sit, quandiu in illis perstiterit, »etiamsi multis alioqui vitiis scateat [4]).” Videt unusquisque, quam egregie hic quoque nostra confirmetur assertio, ecclesiam Calvini natura sua doctrinalem potius, quam moralem esse habendam. Ut Ecclesia adsit, incorrupta requiritur doctrinae praedicatio et purus Dei cultus, »in vitae autem imperfectione tole»randa multo longius procedere indulgentia nostra debet [5]),” in quibus verbis doctrinae puritatem sanctitati morum aliquatenus saltem anteponi, manifestum est. Quam sententiam in eo quoque deprehendimus, quod nullibi apud nostrum *disciplinae usus* inter Ecclesiae notas recenseatur; nam »si hic ordo alicui Eccle»siae desit, imperfectiorem eam et prava macula notatam esse [6])” concedit, »sed non eo minus pro ecclesia ipsam hab*endam* ac persist*endum* esse in eius communione [6])” statuit. Et sane extra controversiam poni potest, non tantum praecipuam, sed unicam fere notam, qua insignivit Ecclesiam Calvinus, *doctrinae* esse praedicationem; apertius enim, quam nos, suam ipse sententiam his verbis elocutus est: »Ergo ubicunque personat pura vox »Euangelii, ubi in eius professione manent homines, ubi in or»dinario eius auditu ad profectum se exercent, illic indubie »Ecclesia est..... Hic enim erit status” (nostrae sc. cum Romanensibus controversiae): »An doctrinae puritatem retinue»rint, a qua non minus procul absunt, quam inferi a coelo.... »Nobis tamen, ut dixi, inanem istam larvam impune contemnere »licebit; quandoquidem Sp. Sctus pronunciat, *ab hac nota prae-*

---

[3]) *Inst.* IV. 1. 9. cf. ib. IV. 7. 8, 9.

[4]) *Inst.* IV. 1. 12. cf. HANSEN. o. l. p. 88. MÜNCHMEYER. o. l. p. 148. CORBIÈRE. o. l. p. 7. WEBER. o. l. p. 23. SCHWALB. o. l. p. 132 et DÉVISME o. l. p. 5.

[5]) *Inst.* IV. 1. 13. cf. *Instr. adv. Anabapt.* Tom. VIII. p. 359. et SCHENKEL. o. l. III. p. 229.

[6]) *Instr. adv. Anabapt.* Tom. VIII. 359b. cf. et 360b; *Inst.* IV. 12. 11. Erravit igitur Cl. HASE, qui diserte annotavit in *„Ev. Dogmatik.”* ed. 5a. S. 345: *„und nach Calvinischer Besonderheit an der rechten Kirchenzucht.”* Ipse nullum e Calv. scr. citavit locum, sed provocat ad *art.* 29. *Conf. Belg.*

»*cipue aestimandam esse Ecclesiam, si doctrinae per Apostolos tra-* »*ditae simplicitas in ea vigeat* [7])."

§ 10. *Ecclesiae finis.*

Insignem Ecclesia locum occupat inter »media externa, quibus fides in nobis et gignatur et augescat [1]);" matris instar est, »in cuius sinum aggregari vult Deus filios suos non modo, ut »eius ministerio alantur, quamdiu infantes sunt ac pueri, sed »cura etiam materna regantur, donec adolescant et tandem per»veniant ad metam [2])." Fides autem quum certa sit doctrinae comprehensio, — proprie igitur »ecclesia ad huius doctrinae »conservationem instituta est [3])." »Quod adeo non extinguitur »in mundo veritas, sed salva perstat, id fit, quod fidam habet »custodem Ecclesiam, cuius opera, et ministerio sustinetur [4]);" et »cuius ministerio voluit Deus se ostendere nobis patrem fa»milias, dum nos spiritualibus alimentis pascit, et quaecunque »ad salutem nostram faciunt procurat [5]);" quoniam parat nobis »remissionem peccatorum [6])," et »tantum potest, ut nos in so»cietate Dei contineat [7])." Verumtamen humani generis in posterum beatitudo primarius Ecclesiae, quo tendat, finis habenda non est, quatenus »angelorum hominumque saluti prae»ferendus est Dei cultus [8])." »Primum igitur caput est, ut Deus »rite colatur [9])." Nimirum, »si quaeritur, quibus potissimum »rebus stet Christiana religio inter nos suamque veritatem re»tineat, has duas non modo summum locum occupare certum »est, sed reliquas etiam omnes partes, adeoque totam vim Chri»stianismi sub se comprehendere: *ut rite colatur Deus, et ut,* »*inde salus sibi petenda sit, noverint homines* [10])." Habemus igitur ecclesiam eo tendere, ut conservetur doctrina, ut fidem augeat in electis, eosque salute beet aeterna, denique ut rite

7) *Comm. in Act.* II. 42. Tom. VI^{c}. p. 23.
1) *Inst.* IV. 1. 1. 2) Ib. cf. IV. 1. 3, 4.
3) *De nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. p. 38^{a}.
4) *Inst.* IV. 8. 12. cf. IV. 1. 5, 10. et *Ep. Calv.* Op. Tom. IX^{b}. p. 61^{a}.
5) *Inst.* IV. 1. 10.
6) *Comm. ad* 1. *Io.* II. 5. *Inst.* IV. 1. 20, 21, 22.
7) *Inst.* IV. 1. 3. et IV. 8. 12.
8) *Vera Eccl. ref. ratio.* Tom. VIII. p. 273^{b}.
9) *Resp. ad Cur. quendam.* Tom. VIII. p. 242^{a}.
10) *De nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. p. 38^{a}.

colatur Deus. Quae omnia, etsi diversa primo obtutu videantur, probe tamen inter se cohaerent. Ultimus Ecclesiae finis est, ut rite colatur Deus. Dei vero cultus in eo consistit, ut verbum Eius sine ulla tergiversatione in se suscipiant homines, atque doctrinae Ipsius indubitatam praestent fidem. Ii igitur rite demum colere Deum censendi sunt, qui submissâ fide doctrinam Ipsius amplectuntur, quo simul nomine aeternae iidem haereditatis fient olim participes.

§ 11. *Perfectissimum Ecclesiae exemplar.*

Ecclesiam visibilem numquam assecuturam esse, neque assequi posse omnino ecclesiam invisibilem, supra ostendere conati sumus. Quodsi ergo in ecclesia invisibili frustra ecclesiae notio idealis e mente Calvini quaeritur, non abs re fore videtur, Ecclesiae perfectum, qualem auguraverit eam Calvinus paucissimis in fine huius capitis apponere. Iam vero, ut ab hoc incipiam, certo certius sibi persuasum habebat noster, »fieri numquam »posse, ut Ecclesia intercidat [1].” Quicquid enim machinetur »Satanas, et quantumvis multiplices turbas ingerat, emersurum »tamen est Euangelium, donec per totum orbem spargatur [2].” »Quod tamen ne ita accipias, quasi ad »Antipodas et alios pro»cul remotos populos usque [3]” dilataretur Ecclesia, nam »sin»gulas mundi plagas Christus specialiter non designat [4],” ubi dicit: *κηρυχθήσεσθαι τὸ εὐαγγέλιον ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ εἰς μαρτύριον πᾶσιν τοῖς ἔθνεσιν.* In quibus verbis hoc quoque probe observandum est, non dici haec de ordinaria Ecclesiae conditione, sed cohaerere arctissime cum Christi *παρουσίᾳ*, quam post tot etiam saeculorum decursum firmiter tamen in consummatione dierum exspectat [5]. Spes quoque, quam intus fovebat, »tunc omnia sibi Christum subiecturum esse [6],” »Deum fore »omnia in omnibus [7],” »unum evasurum esse ovile sub uno »pastore [8],” non ita accipienda est, quasi unquam universa gentium turba aeterna bearetur salute, vel externa saltem pro-

---

1) *Vera Eccl. ref. ratio.* Tom. VIII. p. 287b. cf. *de Scandalis.* Tom. VIII. p. 74b.
2) *Comm. ad Matth.* XXIV. 14. 3) Ib. 4) Ib.
5) Cf. *Inst.* II. 16. 17. et *Comm. ad Matth.* XXIV. 30, *ad Mc.* XIII. 32, *ad Io.* XXI. 22, *ad Acta* I. 6, *ad* 1 *Co.* XV. 26 et *ad* 1 *Io.* II. 18.
6) *Comm. ad* 1 *Co.* XV. 27. 7) *Comm. ad* 1 *Co.* XV. 28.
8) *Comm. ad Ioän.* X. 16, quod de solis electis dictum esse existimat.

fessione Dei Christique nomen celebraret aliquando. Hoc tantum sibi vult: Euangelium toti humano generi »oblatum iri in »testimonium omnibus gentibus [9]," etsi »Diabolus et impii numquam defuturi sint usque ad finem dierum [10]." Illo funesti die »Christus apparebit in mundo ad exsequendum iudicium sibi a »Patre mandatum, et satanem cum impiis omnibus prosternet, »ut in ipsorum exitio Dei gloria sit conspicua [11]." In promptu est istiusmodi exspectationes omnes tam intime cum Christi parousia esse coniunctas, ut nonnisi iniuria ad idealem Ecclesiae referrentur notionem. De qua, etsi vix ac ne vix quidem cogitavisse videatur Calvinus, vel sic tamen eius sententiam augurare quodammodo licet ex iis, quae ad Io. X. 16 annotavit: »Haec verba significant, ubi subest uni Christo Ecclesia, eius »imperio paret, *doctrinaeque auscultat*, tunc demum rite compo»situm esse eius statum [12]." Melius etiam mentem ipsius assequimur in epistola, quam misit ad Cranmerum, ubi prae ceteris notatu digna haec verba leguntur: »atque utinam impetrari »posset, ut in locum aliquem docti et graves viri ex praecipuis »Ecclesiis coirent, ac singulis fidei capitibus diligenter excussis, »*de communi omnium sententia certam posteris traderent scripturae* »*doctrinam* [13]. In quibus omnibus mirum sane dictu est, quam egregie sibi Calvinus constiterit, et stabilis sit eius in sua sententia permansio. Nimirum, quam alte hic quoque doctrina suum caput extollat, ipsa, quibus utitur, verba luculentissime ostendunt, et sane in Ecclesia, cui ultimus finis propositus est, ut per indubitatam ab electis doctrinae praestitam fidem rite colatur Deus, perfectitudinis metam necessarie in purissima doctrinae serenitate positam esse, clamat res ipsa.

CONCLUSIO CAPITIS II.

Ecclesia duplex est: — altera invisibilis, *quae est congregatio sive corpus electorum pariter omnium, sine ullo loci sive tem-*

---

9) *Comm. in Matth.* XXIV. 14 et *ad Acta.* I. 6.
10) *Comm. ad* 1 *Co.* XV. 28.
11) *Comm. ad* 1 *Co.* XV. 27, 28. cf. *Comm. ad* 2 *Pe.* III. 9.
12) *Comm. ad Io.* X. 16.
13) *Ep. Calv.* Op. Tom. IX[b]. p. 61.

poris discrimine; — altera visibilis, *quae hominum respectu societas habenda est eorum, qui externa fidei professione coadunati sunt, — potius tamen in sua ad Deum relatione spectanda est, tanquam* externum medium ad salutem, *sive* scola doctrinalis, *in quam plerumque aggregari vult Deus electos suos, ut divina imbuti doctrina rite Eum colere doceantur. Catholica haec Ecclesia, quae doctrinae consensu unice fere innititur, una est atque perpetua, sola salvifica, vacua ab errore, ad sanctimoniam tendens, a falsa denique Ecclesia unice verbi sacramentorumque ministerio, tanquam Lydio lapide, discernenda.*

CAPUT III.

DE VIA AC RATIONE, QUIBUS ECCLESIA OPERATUR.

Ut Ecclesia munere suo defungatur et docendi instituendique partes sustineat, dispensare debet »thesaurum, quem Deus »apud eam deposuit [1]." Quaenam huius thesauri natura sit, et quanam ratione fiat eius dispensatio in hoc igitur capite inquirendum nobis erit. Media autem, quibus utitur Ecclesia, ut finem suum adipiscatur, quum e Calvini sententia verbi ministerio, celebratione cultus, sacramentorum administratione, et disciplinae usu, potissimum constant, nostra quoque disquisitio quadripartito erit divisa; et ita quidem serie a nobis de singulis dicetur, ut seorsim de natura eorum atque indole Calvini percontemur sententiam, deque via ac ratione, quibus utatur iis Ecclesia, mentem ipsius exploremus. Quodsi quis in speciebus, quas enumeravimus, mutuam sociorum inter se cooperationem desiderat, libenter fatemur, Calvinum, ubi res id postulabat, et v. c. in apost. symb. explicandus erat articulus »de communione sanctorum," praeclare docuisse: »hac lege aggre»gari sanctos in societatem Christi, ut quaecunque in eos bene»ficia Deus confert, inter se communicent. Neque enim fieri »posse, si vere persuasi sint Deum communem esse patrem, et

---

[1]) *Inst.* IV. 1. 1.

»Christum commune caput, quin fraterno inter se amore con»iuncti ultro citroque sua communicent [2])," inter Ecclesiae tamen media mutuam istiusmodi sociorum cooperationem ideo non recensendam esse duximus, quod in Ecclesia, qualis notio eius supra exposita est, ommia a solis doctoribus atque pastoribus pendere, ipsis autem sociis nullum omnino locum in Ecclesia promovenda relinqui, manifesto deprehendet unusquisque, qui obiter duntaxat praecedens caput perlustrare velit.

§ 1. *Verbi ministerium.*

a. *Verbum Dei.*

Verbum Dei »spiritualis doctrina est, quaedam veluti ianua, »qua ingredimur in coeleste eius regnum [1])," ubi »probe et ad »vivum nobis describitur Deus [2]);" est instar codicis, quo »uni»versa bene vivendi regula, tum etiam fidei instructio [3])", plenissime continetur. Verbum Dei »fidei basis est, qua fulcitur »et sustinetur [4])," adeo »ut non magis ab eo divelli possit, quam »radii a sole, unde oriuntur [5])." »Speculi instar est, in quo »Deum intueatur fides [6])." »Tolle igitur verbum et nulla resta»bit fides [7])". — Subinde verbum Dei inter et sacram scripturam distinguere videtur, ubi e. g. roganti in catechismo »Ubi»nam quaerendum nobis sit hoc verbum," respondet: »in »scripturis sacris continetur [8]);" plerumque tamen sine ullo discrimine promiscue utraque formula utitur. Quo iure id facere soleret, ipse nos doceat, ubi in hunc modum disserit: »Spiri»tus virtute illuminati, iam non aut nostro, aut aliorum iudicio »credimus, a Deo esse scripturam; sed supra humanum iudi»cium, certo certius constituimus (non secus ac si ipsius Dei »numen illic intuemur) hominum ministerio ab ipsissimo Dei ore ad nos fluxisse [9])." Quemadmodum igitur, ut supra vidimus, *verbum Dei* fidei regula ab eo proclamatur, sic eodem

---

[2]) *Inst.* IV. 1. 3.

[1]) *Cat. Gen.* Tom. VIII. 24b. [2]) *Inst.* I. 6. 3. cf. IV. 19. 20.

[3]) *Brev. fid. Conf.* Tom. VIII. p. 91b.

[4]) *Inst.* III. 2. 6. [5]) Ib. [6]) Ib.

[7]) Ib. cf. *Inst.* III. 2. 7, 31. *Comm. ad Hebr.* IV. 2. *Prael.* XVI. *in Dan.* III. 28. Tom. V. p. 41a. *Prael.* XLIII. *in Dan.* VIII. 26. Tom. V. 131a. *Prael. in Amos.* Tom. V. p. 216a; *in Ionam.* ib. p. 268a et 271a; *in Micham.* ib. p. 309b.

[8]) *Cat. Gen.* Tom. VIII. p. 24b. [9]) *Inst.* I. 7. 5.

plane sensu alibi confitetur: »*Vetus ac Novum Testamentum* pro »unica fidei regula amplectimur [10]." — De scripturae autem, quae vulgato canone ei constat, origine atque pretio sic in universo aestimandum censet: »Legem initio dedit Dominus...., »in qua voluntatis suae testimonium populus Israëliticus habe»ret. Accessit deinde non diversa aut nova, sed amplior ac »luculentior doctrina ex prophetis.... Postea, usque dum mun»do exhiberetur Christus, lege et prophetis continebatur scrip»tura. Sic videmus a Christo et Apostolis Mosen et Prophetas »citari vel ut classicos testes, quorum scripta, non secus ac »publicae tabulae in populo Dei sine controversia agnoscerentur. »Apostoli viva voce primum testati sunt, quid sibi mandatum »erat. Deinde sic visum est Domino, ut summa praedicationis »eorum litteris proderetur, quo integra ad posteros perveniret. »Non omnes quidem conciones ad verbum exceptae sunt, sed »in summam tamen fideliter redactum totum eorum euangelium, »quod ad plenum sufficere nobis posset [11]." Ex dictis sequitur eodem plane loco *vetus* testamentum nobis habendum esse atque *novum* [12]; »qua enim alia de causa et legem et prophetias scrip»tis mandari voluit Dominus, nisi ut ad perpetuam memoriam »exstaret certa doctrina, quam sequi omnes aetates deberent [13]." Quamobrem ipse »providit inprimis Deus, ne legis, quam latu»rus erat, majestas aliquando in contemptum veniret [14]," ut »*maneret* per Christum inviolabilis Legis doctrina [15]," quam »eadem semper veneratione obedientiaque a nobis suscipi con»venit [16];" nam quod alii nobis obtrudere cupiunt, »axioma »de perfectione Legis Euangelicae, quae Legem veterem longo »intervallo superet, multis modis perniciosissimus [17]" error habendus est. De auctoritate autem s. scripturae copiosius disserere supersedemus, quia supra iam accuratius in hanc rem inquisivimus, ubi compertum nobis fuit »nihil omnino creden»dum esse, quod non expressum sit in s. scriptura [19]," atque

---

10) *Conf. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 92b.

11) Cf. *Ant. Conc. Trid.* Tom. VIII. 230a et *Comm. in Ep. ad Hebr.* II. 3, *ad Iud. Ep.* vs. 9. cf. E. REUSS. *Gesch. der heil. Schrift. N. T.* ed. 3a. S. 322. J. H. SCHOLTEN. *Leer der Herv. Kerk.* ed. 3a. p. 225 sqq.

12) *Respons. contra Pigh.* Tom. VIII. p. 131a.

13) Ib. 14) *Inst.* II. 8. 13. 15) Ib.

16) Ib. 17) *Inst.* II. 8. 7. 18) Cf. p. 3, 4.

19) *Adm. ad praec. Lugd.* Tom. VIII. p. 326a. cf. *Ep. Calv.* (HENRY I. Beil. II. S. 57) *Praef. ad Psychopann.* Tom. VIII. 336.

»adeo in genere *eum* respuere, quicquid absque authoritate verbi »Dei introductum sit [20]).

b. *Verbi divini ministerium.*

Primarium in Ecclesia ministris hoc mandatum est officium, ut verbum divinum populo annuntient, »ut enim vigeret praedicatio,... pastores instituit Deus ac doctores, quorum ore suos doceret [21]).” Solemnis illa praedicatio locum habere »nusquam »potest, quin fructificet et Dei benedictione prosperetur. Non »dico,” ita pergit noster, »ubicumque praedicatur verbum, illic »fructum mox exoriri, sed nullibi recipi et statam habere se»dem, nisi ut suam efficaciam proferat [22]).” Propter quam egregiam utililitatem divinitus praedicandi munus Ecclesiae iniunctum est. »Dominus sc., quum apostolos mitteret, mandatum illis »dedit de praedicando Euangelio. En sanctam, inviolabilem »perpetuamque legem impositam iis, qui in apostolorum locum »succedunt, qua mandatum accipiunt de Euangelii praedica»tione. Ex his et similibus colligere licet in pastorum quoque »functione h*anc* esse praecipu*am* part*em*, Euangelium annuntia»re [23]). En summam potestatem, qua Ecclesiae pastores, quocun»que demum nomine vocentur, praeditos esse convenit: nempe »ut verbo Dei confidentes omnia audeant: eius maiestati omnem »mundi virtutem, gloriam, sapientiam cedere atque obedire co»gant. Eius potentia fulti omnibus a summo usque ad novissi»mum imperent,... dociles instituant: rebelles arguant, incre»pent: ligent ac solvent: fulgurent denique, si opus est, ac ful»minent: sed omnia in verbo Dei [24]).” Debiti enim officiique eorum est »omnes humanae mentis inventiones, a quocunque »tandem capite profectae sint, arcere, ut purus Dei sermo in »fidelium Ecclesia doceatur et discatur. Omnium hominum, cu»iuscunque sint ordinis, placita vel potius figmenta tollere, ut

---

20) *Conf. fid. br. form.* Tom. VIII. 91b. cf. *Lettres de Calvin*, ed. BONNET. II. p. 155 et A. BOON *de dupl. princ., unde in Eccl. emendanda exierint. s.* XVIi *reform.* Gron. 1839. p. 100—105.

21) *Inst.* IV 1. 1.   22) *Inst.* IV. 1. 10.

23) *Inst.* IV. 3. 6. cf. ib. IV. 3. 3, IV. 8. 12 et IV. 15. 22. *Cat. Gen.* Tom. VIII. 22a. *de Scandalis* Tom. VIII. p. 89a. *Ant. in art. Conc. Trid. Sess.* VII. Tom. VIII. 257b. *Comm. ad* 1 *Co.* IV. 1. et *ad Eph.* IV. 11.

24) *Inst.* IV. 8. 9.

»solius Dei decreta rata maneant[25].” »Esto igitur hoc firmum »axioma: Non aliud esse habendum Dei verbum, cui detur in »Ecclesia locus, quam quod lege primum et prophetis, deinde »scriptis apostolicis continetur[26]; vides, ultimis verbis in praedicationis objecto definiendo iam transiisse nostrum a verbo Dei ad sacram scripturam, unde ad doctrinam quam proclivis et lubricus lapsus sit, suo ipse exemplo Calvinus nobis ostendit. Audi eum de mandato, quod Petro dedit Christus, sic fere dicentem: »Proinde nihil aliud vel sibi, vel aliis reliquum facit Petrus, optime »a magistro edoctus, quantum sibi liceret, nisi ut traditam a Deo »*doctrinam* dispenset[27].” Asseverat »tanti esse nobis debere »*doctrinae* puritatem..., ut nihil fastidiose excipiendum sit, »quod ad eam redimendam conducat[28].” »Salvifica enim Christi »*doctrina* anima est Ecclesiae[29])”; *doctrina* e verbo Dei desumpta Eius consilium nobis patefacit[30]), divina denique *doctrina* sola in Ecclesia regnare debet, unde »statuere licet nullas humanas doctrinas admitti debere[31]).” Qui ergo »furiose conantur re»spuere *doctrinam* Dei, ipsi tamen nihil aliud consequuntur, »nisi ut suam malitiam magis ae magis prodant... *Pretiosa est* »*Deo sua doctrina*, nec ferre potest, ut a nobis spernatur. *Con*»*temptus ergo coelestis doctrinae* numquam impune cedet repro»bis[32]).” Divina *doctrina* »vera sapientia[33])” est, »nihil ea pre»tiosius[34]),” »verum animae pabulum[35]),” »vera denique vita[36]).” In Dei honorem unice fere tendit, ut promoveat Eius cultum[37]), quare probe circumspiciendum, ut »non in honinum sed Dei

---

25) *Inst.* IV. 8. 9. cf. FLAMAND. *Étude sur Calvin considéré comme prédicateur.* Strasb. 1847. p. 14—30.

26) *Inst.* IV. 8. 8. 27) *Inst.* IV. 8. 9. 28) *Inst.* IV. 16. 1.

29) *Inst.* IV. 12. 1. cf. *de nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. 59b. *Comm. ad Tit.* III. 9 et *ad* 1 *Tim.* 1. 19. *Resp. c.* PIGH. Tom. VIII. 122, 3. *de aet. Dei praed.* Tom. VIII. 616. *Conf. Hollandi* Tom. VIII. 486. *Prael. ad Amos.* VIII. 11.

30) *Prael. in Mich.* IV. 13. Tom. V. p. 316a.

31) *Prael. in Ioël.* I. 1. Tom. V. p. 133a.

32) *Prael. in Ezech.* Tom. IVb. 21a. cf. ib. p. 65, 86, 104 et 120. *Prael. in Ierem.* XXIII. 32. et c. XXVI. 3.

33) *Conc. in Hiob.* Tom. IIb. p. 63a.

34) Ib. Tom. IIb. p. 93b. 35) Ib. Tom. IIb. p. 205b.

36) *Hom.* LXXII. *in* 1 *Sam.* c. XIX. 17—24. Tom. IIa. p. 322a. cf. *Comm. ad Tit.* II. 1, *ad Hebr.* III. 2. et *ad* 2 *Co.* XIII. 3 al.

37) *Resp. ad fac. Theol. Par.* Tom. VIII. p. 198a. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. p. 278a. *Excus. ad Pseudon.* Tom. VIII. 447a.

»gloriam quaerendam vergat [38]).” Hinc intelligitur nihil religiosius nobis observandum esse, quam »*doctrinae* examen, tum »publicum, tum privatum [39]),” in quo haec trutina sit ac amussis: »non licere Ecclesiae plus docere, quam quod verbo suo »revelavit Dominus [40]);” unde constat, unicum doctrinae fontem sacram scripturam habendam esse [41]). Nihil autem doctrinae illius auctoritati promovendae melius inservit, quam usus *catechismi*, de quo sic noster ad SOMMERSETIUM: »Croyez M^r^., »que jamais lEglise de Dieu ne se conservera sans Catechisme. »Ce catechisme servira a deux usages, asavoir dintroduction a »tout le peuple, pour tous proffiter a ce quon preschera et »aussi pour discerner si quelque presumptueux avanvancoit doc»trine estrange [42]). Neque vota tantum nuncupavit, sed ipse quoque in usum Ecclesiae Genevensis conscripsit Catechismum, in cujus praefatione de istiusmodi libelli utilitate in hunc modum disserit: »Catechismi usus, qui aliquot antehac saecu»lis sub Papatu abolitus fuit, nunc quasi iure postliminii re»deat, nam numquam satis pro utilitate sua commendari potest »*sanctum* hoc *institutum* [43]).”

§ 2. *Cultus celebratio.*

»Primum statuendum est, spiritualem Dei cultum esse, ne in »externis vel ceremoniis, vel aliis quibusdam operibus reponatur [1]).” Veri autem Dei cultus »praecipuum fundamentum est, »Eum, sicuti est, omnis virtutis, iustitiae, sanctitatis, sapientiae, »veritatis, potentiae, bonitatis, clementiae, vitae et salutis fontem »unicum agnoscere, ideoque bonorum omnium gloriam Illi adscri»bere in solidum, ei tribuere, quae vere in ipso solo omnia adsunt: »ideoque si quid nobis opus est, in ipsum solum respicere. Inde

---

38) *Praef. ad* FRANC. I. *in* „Inst. rel. Chr.”
39) *Comm. ad* 1 *Io.* IV. 1. 40) *Inst.* IV. 8. 15.
41) *Ep. ad* LAEL. SOCIN. (HENRY I. Beil. II. S. 58.) cf. *Comm. ad Ro.* X. 11.
42) *Lettr. au prot. de l'Angl.* (HENRY II. Beil. 4. S. 34.)
43) *Praef. in Cat. Gen.* Tom. VIII. p. 11^a^. cf. *adm. ad lect.* Tom. VIII. p. 12 et C. E. SCHMIDT. *Comp. des Catéchismes de Luth., Calv., Heidelb., Osterw. et Saurin.* Strasb. 1858. p. 27—37.
1) *De vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 278^a^. *de vit. superst.* Tom. VIII. 436^b^. *de sacr. pap. vel adm. vel abj.* Tom. VIII. p. 428^b^.

»nascitur invocatio, inde laudes et gratiarum actiones, quae »testimonia sunt eius, quam Illi tribuamur, gloriae [2])". Si ad cor hominis et animum refertur »praecipua eius pars fide con»tinetur [3])" et »ille demum vere cultus Dei est: vivere ex »Eius praecepto [4])." Habet tamen externa quoque »instrumenta, »ut corpus una cum animo in cultus divini professione exercea»tur [5])", in quibus tamen firmiter haec valeat ratio: »quaecun»que tentamus praeter verbi eius regulam, ut stulta, insipida »et temere suscepta repudianda esse [6])." Cuius praecepti accuratissimae observationi tantum noster tribuit, ut »idolum »adorari (opinetur), simulac illicitum quid irrepserit [7])." Quin imo illibatam cultus puritatem »patriae, cognatis, vitae denique »praeferendam censet [8])." Sacrificia inprimis, quo tandem cunque appellitentur nomine, in genere noster respuit et abominatur. Si qui tamen sint, qui sacrificii vocabulum ad sacras omnes ceremonias et religiosas actiones extendant, in duo genera omnia nostra sacrificia distribuenda esse censet, quorum alterum *λατρευτικόν* et *σεβαστικόν* nominare cuperet [9]), »quoniam vene»ratione cultuque Dei constat, quem illi fideles et debent et »reddunt; vel si mavis, *εὐχαριστικόν*: quandoquidem a nullis »Deo exhibetur, nisi qui immensis eius beneficiis onusti, se to»tos illi rependunt. Alterum propitiatorium,... cui propositum »est iram Dei placare;" quod tamen »Christi unica oblatione »omne praestitum est atque consummatum; adeoque nihil deesse, »ut nullus postea locus alteri hostiae relinqueretur [10])." Solemnis autem totius Ecclesiae cultus precibus potissimum et hymnorum concentu, ut et dierum festorum celebratione continetur [11]), de quibus singulis verbo igitur dicendum restat.

a. *Preces* in publico Ecclesiae conventu solemniter fundere iubet, »ut Deum communi una voce et veluti eodem omnes

---

2) *De nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. 44. cf. *Inst.* II. 8. 16.
3) *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 278a.
4) *Comm. ad Eph.* V. 9. cf. *Ep. Calv. ad amicum N.* Tom. VIII. 455b.
5) Cf. SCHENKEL. o. l. III. p. 460.
6) *Comm. ad Rom.* XII. 1. cf. *ad Iac.* II. 10. et *Inst.* IV. 10. 17.
7) *De vitand. superst.* Tom. VIII. 436b. *de fug. imp. ill. sacr.* Tom. VIII. 413b.
8) *De vitand. Superst.* Tom. VIII. 452a.
9) *Inst.* IV. 18. 13. cf. IV. 18. 12, 14, 16.
10) *Inst.* IV. 18. 13. *Comm. ad* 1 *Ioän.* II. 1.
11) *Inst.* IV. 10. 29.

»ore pariter glorificemus, idque palam, ut omnes vicissim a suo »quisque fratre confessionem fidei accipiant et ad eius exemplum »inviteatur et incitentur [12]." Semper autem cum adiuncta »peccatorum confessione [13]", »cum fiducia atque intelligentia [14]", »in nomine Christi ad Patrem [15]" precandum esse docet. Preces ad certam quandam formulam conceptae [16], »tum horis stativis, »tum subinde in maiore aliqua necessitate condictae [17], »ad incitandos fidelium animos magnam utilitatem habere solent. Fervidam pro vivis intercessionem laudat atque commendat, — pro defunctis contra improbat vehementer [18].

b. *Cantum publicum* retinendum, et ubi iam exciderat, restituendum esse censet, tanquam »sanctissimum et saluberrimum »institutum; cavendum tamen diligenter, ne ad modulationem »intensiores sint aures, quam animi ad spiritualem verborum »sensum [19]."

c. *Dies festivi.* Diei dominici stativam observationem hoc pacto ferri posse in Ecclesia Christiana docet Calvinus, ut pro hominum infirmitate »stati sint dies ad conventus Ecclesiasticos »habendos, servis item et operariis sua detur a labore remis»sio [20]," modo »absit mysterium spirituale in eo sibi figurare [21]." Non est igitur, cur anxie in hoc vel illo die haereremus, quare confitetur »se non damnaturum esse Ecclesiam, »quae alios conventibus suis solemnes dies habeat [22]." De reliquis diebus festis minus benigne sentit, et »si omnes abroga»rentur, libenter acquiesceret [23];" ubi tamen celebrari hucusque solebant, ita retineri possunt, ut »sit liberum iis, qui volunt, »post concionem ad opus se conferre [24]." — »Quoties res ali-

---

12) *Inst.* III. 20. 31.

13) *Ref. Ant. Cathalini* Tom. VIII. 383a.

14) *De nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. 45a.

15) *Resp. ad quaest. Blandratae.* Tom. VIII. p. 586b.

16) *Lettre au prot. d'Angl.* (HENRY II. Beil. 4. S. 34) cf. Beil. 8. S. 65—7.

17) *Inst.* III. 20. 29.

18) *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. p. 93a. cf. *Inst.* III. IV. 11.

19) *Inst.* IV. 20. 32. cf. ib. IV. 20. 31, 33. *Comm. ad Eph.* V. 19 et HENRY II. Beil. 8. S. 67 sq.

20) *Inst.* II. 8. 32 cf. II. 8. 31 et *Resp. contra* PIGH. Tom. VIII. 173b.

21) *Inst.* II. 8. 33. 22) *Inst.* II. 8. 34.

23) *Ep. ad min. Burens.* Tom. IXb. 63a. cf. *Annales Genevenses* ad d. XV, m. Decembr. a. MDXLIV.

24) *Ep. Calv.* (HENRY I. Beil. 8. S. 47.)

»qua difficilis tractatur ac magni momenti in Ecclesia [25]);" e.g. in electione ministri, quum Synodus convocatur, aut »quum »apparent iudicia irae Domini [26])," ad fidelium coram Deo contritionem magnopere conducere censet, »si publica indicerentur ieiunia [27])." Tunc igitur ad solemnes preces »impransus unus»quisque accedat, et ceteroquin plebeiis vilioribusque cibis con»tenti simus et parcius ac levius solito vescamur [28])." In ieiuniis autem, ut in istis omnibus rebus, quae ad externum cultum pertinent, probe cavendum est, »ne superstitiose ea ob»servemus," magis etiam »ne morosius ac rigidius exigantur [29])."
De reliquis caeremoniis nihil »voluit sigillatim praescribere [30])," sed liberum in iis constituendi ius singulis Ecclesiis permittere [31]), ut »pro more regionis [32])," tales ritus instituant, qui »per »gravitatem ordini ac decoro inserviunt [33])," simul quoque »pauci »sint ac faciles et claritate conspicui [34])," »ne sua libertate »spolientur fideles [35])." »Quae autem Caeremoniae ad hunc Ca»nonem semel institutae sunt, a populo sine ulla superstitione, »facili ad obsequendum propensione servandae sunt [36])."

§ 3. *Sacramentorum administratio.*

De ipsis sacramentis primum, tunc de eorum administratione Calvini sententiam sciscitemur.

A. Sacramenta.

a. *de sacramentis in genere.* 1°. *unde sit eorum notitia haurienda?* Sacramentorum notitia e sola s. script. peti potest, nam »sine verbo Dei Sacramenta etiam ipsa sacramenta non »sunt [1])," quatenus »solus Deus est, qui de se nobis per verbum

25) *Inst.* IV. 12. 14. 26) Ib. cf. IV. 12. 17.
27) *Inst.* IV. 12. 16. cf. VI. 12. 14, 17. 28) *Inst.* IV. 12. 18.
29) *Inst.* IV. 12. 19. cf. IV. 12. 20. 30) *Inst.* IV. 10. 30.
31) *Resp. ad versip. quend.* Tom. VIII. 308b. cf. *Comm. ad* 1 *Co.* XI. 2.
32) *Inst.* IV. 10. 31. 33) *Inst.* IV. 10. 28. 34) *Inst.* IV. 10. 14.
35) *Comm. ad Gal.* II. 14.
36) *Inst.* IV. 10. 31. et IV. 10. 22. cf. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 278a. *Conf. Holl.* Tom. VIII. 489b. *Resp. ad versip. quend.* Tom. VIII. 308b. *Comm. ad Phil.* III. 6. cf. Schenkel o. l. III. 476 et 500 sqq. De *votis* Calv. sententiam habes in *Inst.* IV. 12. 1—28. et *Art. adv. fac. Th. Paris.* Tom. VIII. 202a.
1) *Inst.* IV. 18. 20.

»suum testificatur legitima authoritate [2]).” »Verbum adeo Dei »praeeat oportet, quod sacramentum esse sacramentum faciat [3]),” propterea, quod »ne omnes quidem homines in unum simul »coacti nihil a se polliceri de salute nobis possunt; ergo nec a »se edere aut erigere sacramenta [4]).” — 2°. *Definitio.* — »Haec »simplex et propria erit definitio, si dixerimus, externum esse »symbolum, quo benevolentiae erga nos suae promissiones con»scientiis nostris Dominus obsignat, ad sustentandem fidei no»strae imbecillitatem et nos vicissim pietatem erga Eum no»stram, tam coram Eo et angelis, quam apud homines testa»mur [5]).” »Sacramentum sigillum verbi est, symbolum foederis, »fidei columna, verbum visibile, specula denique gratiae Dei »divitiarum [6]).” — 3°. *Quot sint numero?* — »Duo tantum nobis »a Christo esse commendata sacramenta extra controversiam »est [7]),” adeoque »praeter haec duo Baptismum et s. Coenam, »ut nullum aliud a Deo institutum sit, ita nec ullum agnoscere »debet fidelium Ecclesia [8]).” Nominatim in Sacramentorum serie litura inducuntur: confirmatio [9]), penitentia [10]), ultima unctio [11]), ordinatio [12]), matrimonium [13]). — 4°. *Quibusnam partibus constent?* — »Constat sacramentum verbo et signo [14]),” sive »re »et figura [15]).” Verbum requiritur, ut quasi promissionem repraesentet; »numquam enim sine praeeunte promissione sacra»mentum esse potest [16]),” cui signum, »tanquam appendicem »adiungi videmus, eo fine, ut promissionem ipsam confirmet, »atque obsignet, nobis testatiorem, imo ratam quodammodo

---

2) *Inst.* IV. 19. 2. cf. *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. IXb. p. 255a. sive ubi etiam occurrit. Tom. VIII. p. 95.

3) *Inst.* IV. 19. 2.

4) *Inst.* IV. 18. 19. cf. *Cat. Gen.* Tom. VIII. 29b. 5) *Inst.* IV. 14. 1.

6) *Inst.* IV. 14. 5, 6. cf. *de vera particip. Christi in Coena.* Tom. VIII. 741a. *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 95b. sive Tom. IXb. 254b. *Ant. in decr. Conc. Trid.* Sess. VII. Tom. VIII. 256a.

7) *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 281b.

8) *Inst.* IV. 18. 19. *Ant. in decr. Conc. Trid.* Tom. VIII. 284a.

9) *Inst.* IV. 19. 4—13. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 284a.

10) *Inst.* IV. 19. 14, 15, 16. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 285a.

11) *Inst.* IV. 19. 18—21. *Comm. ad Iac.* V. 14. *De fug. imp. ill. sacris.* Tom. VIII. 409—423. *Vera Eccl. ref. rat.* ib. 285a.

12) *Inst.* IV. 19. 22—34. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. p. 286a.

13) *Inst.* IV. 19. 34—37. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 288b.

14) *Inst.* IV. 14. 4. *Comm. ad Rom.* IV. 11.

15) *Inst.* IV. 14. 15. 16) *Inst.* IV. 14. 3 et IV. 18. 19.

»faciat [17]).” Signorum loco »aut rebus naturalibus, aut miracu»lis, utitur Deus [18]);” rebus naturalibus, ét sub vet. ét sub novo foedere, miraculis sub vetere tantum [19]). — 5°. *Quaenam iis inhaereat vis salutifera?* — Sacramenta »in hoc sunt a Domino »instituta, ut stabiliendae, augendaeque fidei serviant [20]).” »Confir»mant sacramenta fidem nostram, dum bonam patris Coelestis erga »nos voluntatem ob oculos ponunt, cuius recognitione et tota fidei »nostrae firmitudo consistit, et robur augescit [21]).” Si tamen Sacramenta non essent a Deo instituta, »in uno Dei verbo abunde »nobis esse debuisset, ut salutis nostrae plenam fidem perciperemus [22]),” et bene observandum est »ex sacramentorum participa»tione salutis fiduciam non pendere, ac si iustificatio sita illic fo»ret [23]),” quare ex animi eius sententia dixit Augustinus: »invi»sibilem sanctificationem sine visibili signo esse posse [24]).” Quum »tamen ita Domino placuerit nostrae infirmitati et fragilitatibus »mediis institutis consulere, ratio ipsa evincit obstringi nos aperte, »ut et illa admittamus, et ad usum nostrum applicemus [25])” »Non »enim prohiberi potest Pater luminum, quin, sicut corporeos »oculos solis radiis, ita mentes nostras sacramentis, quasi inter»medio fulgore illustret [26]).” Sunt igitur non leviter incusandi ii, »qui arcanas nescio quas virtutes sacramentis affingunt [27]);” sed magis etiam iis occurrendum est, »qui vim sacramentorum »enervant, usumque prorsus evertunt [28]).” »Si quis enim eorum »usu sponte abstineat, ac si opus non haberet; Christum con»temnit, ipsius gratiam respuit, et spiritum exstinguit [29]).” —

17) *Inst.* IV. 14. 3.

18) *Inst.* IV. 14. 18. cf. II^a. *Def. de re Sacram.* Tom. VIII. 666^b.

19) Cf. *Ant. in decr. Conc. Trid.* Tom. VIII 284^a. *Adm. ult. c. J.* WESTPH. ib. p. 696^b. *De vera part. Christi.* ib. p. 741^a.

20) *Inst.* IV. 14. 9. cf. IV. 14. 3.

21) *Inst.* IV. 14. 10 et IV. 14. 13. cf. *Cat. Gen.* Tom. VIII. p. 25^b.

22) *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 95^b. 23) *Inst.* IV. 14. 14.

24) *De quaest. vet. Test.* l. III. c. 5. cf. *Inst.* IV. 14. 14. *Lettres de Calvin.* ed. BONNET. I. 438.

25) *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 95^b. cf. *Lettres de Calvin.* ed. BONNET. I. 420 sq.

26) *Inst.* IV. 14. 10. cf. IV. 14. 19. 27) *Inst.* IV. 14. 14.

28) Ib. cf. IV. 14. 9.

29) *Cat. Gen.* Tom. VIII. 25^b. cf. *Inst.* IV. 14. 19, ubi subscribit verbis AUGUSTINI, *contra Faustum Manichaeum.* l. IX. c. 11. et *Inst.* IV. 14. 7, 8. *Comm. ad* 1 *Pe.* III. 21. *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. IX^b. 255^a. *Resp. ad qu. D. Tossan.* Tom. IX^b. 129^a.

6°. *Unde salutifera vis iis accedat?* — α. objective in arcana scti spiritus virtute et efficacia vis ea residet. Testatur enim: »sine sp. scti virtute neque hilum sacramenta proficiunt[30]);" et »munere suo tunc demum perfunguntur, ubi interior ille ma»gister, spiritus, accesserit[31]);" unde certo affirmare licet »illa »fore inutilia nobis, nisi spiritus illa in nobis reddat efficacia, »tanquam instrumenta[32])", sive »organa, quibus in corde nostro »operatur[33])". — β. subiective contra a fide omnis pendet sacramentorum efficacitas. Totidem enim verbis declarat: »nul»lus eorum extra fidem est effectus[34])," quae si abest, »aures »duntaxat percelluntur, et oculis observantur, interiora minime »afficiunt[35]);" certo enim docet nos scriptura, »Deum non »promiscue vim suam exercere in omnibus, qui sacramenta reci»piunt, sed tantum in electis[36])."

b. *de singulis sacramentis.* α. de baptismo. 1°. *Definitio.* »Baptismus signum est initiationis, quo in Ecclesiae coop»tamur societatem, ut Christo insiti, inter filios censeamur[37])." — 2°. *Baptismi elementa.* Duobus baptismus constat elementis, verbo, sive promissione, et signo externo. *Promissio* spiritualis est, olim »in circumcisione patribus edita, quae in baptismo nobis »datur[38])": »in utroque sc. sacramento promissio una est, nem»pe Dei favoris, remissionis peccatorum, vitae aeternae[39])." *Signum* in baptismo aqua est, in quam submerguntur, sive qua adsperguntur infantes, solemni simul adhibita enuntiatione[40]). — 3°. *Quaenam salutifera vis ei inhaereat?* — »Adoptionis gratia »praecedat Baptismum necesse est, quae non dimidiae tantum »salutis causa est, sed eam ipsam salutem in solidum offert, »quae deinde Baptismo sancitur[41])." Tamen ipse quoque baptismus suum fructum affert, et hunc »primum, quod nobis a »Domino proponitur, ut symbolum sit nostrae purgationis ac

---

30) *Inst.* IV. 14. 9. 31) Ib.
32) *Brev. fid. conf.* Tom. VIII. 91b. 33) *Inst.* IV. 14. 10.
34) *Ant. in decr. Conc. Trid.* Tom. VIII. 256a. 35) *Inst.* IV. 14. 8.
36) *Cons. mut. in re Sacr.* art. 16. Tom. VIII. 649b. *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. IXb. 255a. cf. SCHENKEL o. l. I. S. 430 sqq. SIRVEN. *Étude sur Calvin d'après les lettres françaises.* Strasb. 1857. p. 14.
37) *Inst.* IV. 15. 1. 38) *Inst.* IV. 16. 3.
39) *Inst.* IV. 16. 4. *Comm. ad Col.* II. 12. et *ad Tit.* III. 5.
40) Cf. *Liturg. Gen.* Op. Tom. VIII. p. 33. et *Inst.* IV. 15. 6.
41) *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. p. 300b. et *Inst.* IV. 15. 11.

»documentum [42])," quo certiores reddamur »nos semel in om»nem vitam ablui ac purgari [43])." Tunc hanc quoque utilitatem habet, quod »nostram in Christo mortificationem ostendit no»bis, atque novam in eo vitam [44]);" et »certo nobis tertificatur »non modo in omnem mortem et vitam Christi nos insitos esse; »sed ipsi Christo unitos esse, ut omnium Eius bonorum parti»cipes simus [45])." »Confessioni denique nostrae apud homines »sic servit Baptismus: siquidem nota est, qua palam profitemur »populo Dei accenseri velle: qua testamur nos in unius Dei cul»tum, in unam religionem cum omnibus Christianis consen»tire [46])," Etsi igitur tantam baptismus in salutem nostram habeat vim, tantaque sit eius in omnem vitam nostram efficacitas, tamen gravissimam »iniuriam faciunt promissioni Dei, qui »infantibus non tinctis claudunt Eius regnum [47]);" »quasi adeo »necessarius esset baptismi usus, ut periisse protinus existima»retur, cui eius obtinendi facultas adempta est [48])." Hinc ergo quum iis officit Calvinus, »qui ablutionem et salutem nostram »aqua perfici putant [49])", ab altera parte tamen non minus acriter invehitur in eos, »qui impune contemni posse baptismum [50])" perhibent. Baptismus enim »non nudo tantum spectaculo pascit »oculos, sed in rem praesentem nos adducit, et, quod figurat, »efficaciter simul implet [51])."

β. de sacra coena. 1°. *Definitio.* Sacra coena sacramentum est, »ideo a Christo institutum, ut corporis et sanguinis sui »communicatione educari in spem vitae aeternae animas nostras »nos doceret, idque nobis certum redderet [52])." — 2°. *S. Coenae elementa.* S. Coena itidem duobus elementis continetur, quorum prius est *promissio*, »qua carnem suam vere cibum »(Iesus) testatur et sanguinem suam potum, quibus in vitam »aeternam pascimur, qua se panem vitae affirmat, de quo qui

---

[42]) *Inst.* IV. 15. 1. [43]) *Inst.* IV. 15. 3. cf. *Comm. ad Eph.* V. 26.
[44]) *Inst.* IV. 15. 5. [45]) *Inst.* IV. 15. 6. [46]) *Inst.* IV. 15. 13.
[47]) *Ep. Calv.* Op. Tom. IX^b. 256^b. cf. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 300^b. et *Refut. Cathalini.* Tom. VIII. 333^b.
[48]) *Inst.* IV. 16. 26. cf. IV. 15. 20. cf. *Lettres de Calv.* ed. BONNET. I. 438.
[49]) *Inst.* IV. 15. 2. cf. IV. 15. 14.
[50]) *Inst.* IV. 16. 26. cf. IV. 15. 14. *Ep. ad J. Claub.* Tom. IX^b. 172^a. et *Ms. Genev.* apud HENRY II. S. 260.
[51]) *Inst.* IV. 15. 14. cf. SCHENKEL o. l. I. 457. et SIRVEN. o. l. p. 14.
[52]) *Cat. Gen.* Tom. VIII. 26^b. cf. DONZÉ. *La sainte Cène d'après Calvin.* Strasb. 1857.

»manducaverit, vivet in aeternum [53]);" quocirca fas est »dicere »Christum materiem esse et substantiam sacramentorum [54])." — *Signum*, quod in baptismo aqua, in s. coena »sunt panis et »vinum [55])." — 3°. *Mysterii explicatio.* »Sic uti pane et vino »alitur corpus, ita cibum animae esse Christi carnem et sangui»nem [56])," ita intelligendum est, quod »ipso Christo animae »nostrae in spirituale alimentum fruantur [57])," dum »oculis »animisque in coelum evehimur [58])." Medium veluti locum sua interpretatione occupat Calvinus inter eos, qui contortam intricatamque illam quaestionem explicare sustinuerant. Zwinglio advertatur [58]), quatenus negat, »ipsa coenae elementa nudas »quasdam figuras aut representativas imagines esse [59]);" neque lenius tamen officit Romanensibus [60]), qui tales confinxerant artifices, »ac si locali praesentia corpus Christi manibus attrectan»dum, atterendum dentibus, ore degutiendum sisteretur [61]);" denique suam a Luthero [62]) dissensionem clare enuntiat, ubi eorum opinionem impugnat, qui, »panem etsi nihil patiens mutationem sub se habere inclusum Christi corpus [63])," invita ratione perhibebant. — 4°. *Quaenam salutifera ci inhaereat vis?* — S. Coenae usus »nobis confirmat corpus Domini sic semel esse »immolatum, ut nunc eo vescamur, ac vescendo unici illius sa»crificii efficaciam in nobis sentiamus, sanguinem eius sic pro »nobis semet effusum esse, ut sit nobis perpetuus potus [64])."

---

53) *Inst.* IV. 17. 4. 54) *De Coena Dom.* Tom. VIII. p. 2b.

55) *Inst.* IV. 17. 1. 56) *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 282a.

57) *De Scandalis.* Tom. VIII. 82a. cf. *Inst.* IV. 17. 2, 8, 9, 10. *de Coena Dom.* Tom. VIII. 6. *Refut. erroris* M. SERVETI. Tom. VIII. 522a. *Cons. in re sacram.* art. 23. Tom. VIII. 650a. IIa. *def. de sacram.* Tom. VIII. 667a. *De vera Chri part. in Coena.* Tom. VIII. 727a, 738b, 744b. *Ep. Calv.* Tom. IXb. 115b. *Ep. ad Oth. Heinr. Pal.* Tom. IXb. 126b. *Conf. fid. de Euch.* Tom. IXb. 181a, 276b. et in universo *Inst.* IV. 17. 1—50 et 18. 1—20. DONZÉ. o. l. p. 9.

58) Cf. ZWINGLII, *de vera et falsa relig.* Op. Tom. II. 208—215. *Fid. Christ. expos.* Tom. II. 555. al. (Ed. Tigur. 1581.)

59) *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 97a. *de Coena Dom.* Tom. VIII. 8a, 9b. *de Scandalis.* Tom. VIII. 82a.

60) Cf. *Decr. Conc. Trid.* S. XIII. c. 1, 4. THOMAS AQU. Summa. P. III. 9. 75. a. 2.

61) *Inst.* IV. 17. 12. cf. IV. 17. 14, 19. *de Coena Dom.* Tom. VIII. p. 9.

62) LUTH. *W. W.* XX. S. 915, 723. (Ed. Walch.)

63) *Inst.* IV. 17. 16. cf. IV. 17. 16—19. *Adm. ult. c.* J. WESTPH. Tom. VIII. 709a, 714a, 716b. *De vera part. Chri.* Tom. VIII. 727b. 742b.

64) *Inst.* IV. 17. 1. cf. IV. 17. 10. *De Coena Dom.* Tom. VIII. 2b.

»Corpus adeo Christi vegetandae ac vivificandae animae nostrae »unicus cibus est. Quos igitur usus corpori vinum affert, eos»dem spiritualiter affer(*untur*) nobis Christi sanguine, sunt »autem, fovere, reficere, confirmare, exhilarare [65])." Propterea autem fructus illos nobis affert, quod »in unum corpus nos cum »Christo coälescere facit, ut quidquid ipsius sit, nostrum vocari »licet [66])." Tunc quoque confessioni nostrae inservit, »quod »enim iubemur mortem Domini annuntiare, — non aliud est, »nisi ut oris confessione praedicemus, quod fides nostra in »sacramento agnovit, mortem sc. Christi nostram esse vitam [67])." Denique exhortationis loco nobis esse debet. »Quis enim acrior »admoveri stimulus poterat ad excitandam mutuam inter nos »charitatem, quam dum Christus se ipsum nobis donans, suo »exemplo, ut alter alteri nos mutuo devoveamus ac tradamus, »invitat [68])." Quatenus autem sacramentum, unde tam multiplex in nos fructus redundat, necessarie sit a Calvino cum salute nostra coniunctum, ita ut sine sedulo eius usu nequeat a nobis aeternum exitium averti, ex iis, quae supra de sacramentis in genere diximus, satis tute poterit effici. Simul tamen, ét in hoc quaestione, ét in reliquis omnibus, quae sacramentorum indolem atque usum spectant, probe tenendum est, »arca»num (*id esse*) mysterium, cui nec mens plane cogitando, nec »lingua explicando par esse potest [69])."

B. Sacramentorum administratio.

a. *De sacramentis in genere.* Quod in sacramentorum usu utrobique, tam in baptismo, quam in s. Coena, simile est, huc fere redit. Sacramentorum administratio ad solos pastores pertinet [70]). Quod tamen tantummodo valet in Ecclesia bene

---

65) *Inst.* IV. 17. 3. cf. IV. 9, 32, 37.

66) *Inst.* IV. 17. 2. 67) *Inst.* IV. 17. 37.

68) *Inst.* IV. 17. 38. cf. IV. 17. 18. *De Coena Dom.* Tom. VIII. 6b, 8a, 9b. *Cat. Gen.* Tom. VIII. 27a. *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 97a. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 282b.

69) *Inst.* IV. 17. 6. cf. IV. 17. 32. *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 97b. — et SCHENKEL. o. l. I. 561. HOFFMAN, *Symbolik*, S. 435. HASE. *Ev. Dogm.* 447. (5e ed.) WINER. *Comp. Darst. des Lehrb. der versch. Kirch.* Lpz. 1824. S. 133 sq. HAGENBACH. *Dogmengesch.* (vers. belg. 1858 p. 685.) BAUR. *Lehrb. d. chr. Dogmengesch.* 2e ed. S. 339. DONZÉ o. l. p. 16 sq., 24.

70) *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 95. *Lettres franc.* ed. BONNET. I. 420. *Ant. in art. fac. Theol. par.* Tom. VIII. 194b.

ordinata, ubi rite omnia peraguntur; ceteroquin de s. Coena e. g. docet nos Calvinus, »eam non fore deteriorem, etsi Diabolus »eam administraret [71].” Sacramenta semper in medio fidelium coetu celebrari debent, »non enim licet unicuique seorsim »iis uti [72].” »Nihil denique magis alienum est ab eorum na»tura, quam inane spectaculum populo absque mysterii enarra»tione exhibere [73].” — b. *De Baptismo.* Paedobaptismo calculum suum adiicit noster, si quidem ex utroque [74]), sive alterutro [75]) fideli parente nati sint infantes. Contra, qui »ex incredulis »progeniti [76]),” in Ecclesiam recipiendi sunt, non admittantur, »nisi perspecta eorum conversione et fide [77]).” Fiat autem aquae adspersio in nomine Patris (causa), Filii (materies) et Sp. Scti (effectus regenerationis [78]). »Adsint patres, qui stipulationi re»spondeant cum fideiussoribus [79]).” Quodsi denique negligentia forte sit omissus, »in parentes, non in pueros culpa redit [80]).” — c. *De s. Coena.* Fideles, priusquam ad Coenam accedant, privatum sibi imponant fidei suae erga Deum examen [81]); »qui autem »arcendi sint, publico id iudicio discernatur, neque privato »unicuique” sit permissum [82]). Arceantur autem praeter excommunicatos »pueri, donec fidei suae rationem reddiderint [83]).” Quod porro ad ipsos huius sacramenti ritus attinet,” sic decen»ter administrari poterat: fieret initium a publicis precibus,... »haberetur deinde concio;... tum minister, proposito in mensa »pane et vino, institutionem Coenae referret: deinde enarraret »promissiones, quae in ea nobis relictae suut, simul eos omnes »excommunicaret, qui interdicto Domini ab ea arcentur. Po-

---

71) *Hom.* I. *de fug. idolol.* Tom. VIII. 463a. Cf. *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 95. *Cons. de re Sacram.* Tom. VIII. 656b. *Ant. in art. fac. Theol. Par.* Tom. VIII. 194b.

72) *Hom.* 1. *de fug. idolol.* Tom. VIII. 463a.

73) *De nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. 48a. cf. *Inst.* IV. 17. 39.

74) *Inst.* IV. 16. 1—9. Defendit eum contra Anabapt. IV. 16. 10—31. Cf. *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 96a.

75) *Inst.* IV. 16. 6. 76) *Inst.* IV. 16. 23. cf. IV. 16. 24, 28. 77) Ib.

78) *Inst.* IV. 15. 6. *Ant. in decr. Conc. Trid.* Tom. VIII. 258a.

79) *Ep. ad Oliv.* Tom. IXb. 143a.

80) *Refut. Cathal.* Tom. VIII. 333b. *Adv. Anab.* Tom. VIII. 357b. *De vit. superst.* Tom. VIII. 438b.

81) *Inst.* IV. 17. 40. cf. IV. 16. 30.

82) *De Coena Dom.* Tom. VIII. 5b. cf. *Inst.* IV. 1. 15 et IV. 12. 5.

83) IIa. *Def. contr.* J. WESTPH. Tom. VIII. 678b.

»stea oraretur [84]); hic vero canerentur Psalmi, aut aliquid lege»retur, et quo decet ordine fideles sacrosanctis epulis com»municarent, ministris panem frangentibus et populo praeben»tibus: finita coena exhortatio haberetur [85]).” De tempore, quo celebranda sit, nihil certum definiri potest, modo frequens sit eius usus, »ita ut nullus certe sine ea habeatur conven»tus [86]).” Ad aegrotos ferri Coenae elementa possunt, dummodo rite administrentur [87]). Calicis denique usum strenue fidelibus vindicat [88]), neque respuit omnino recens denatorum in ipsa Coena conclamationem [89]).

§ 4. *Disciplinae usus.*

Quamquam disciplinae usus non tam arcte cum Ecclesiae indole cohaereat, ut, quae eo destituta sit Ecclesia, Ecclesiae nomen protinus amittat [1]), tamen, quemadmodum »nulla so»cietas, imo nulla domus contineri in recto statu sine disciplina »potest: sequitur eam multa magis esse necessariam in Ecclesia, »cuius statum quam ordinatisimum esse debet,... ita ut illi »disciplina pro nervis sit, qua fit, ut membra corporis suo quod»que loco inter se cohaereant. Quamobrem, qui vel sublatam »eam cupiunt, vel eius impediunt restitutionem... Ecclesiae »certe extremam dissipationem quaerunt [2]).” Doctrinae inprimis puritati eius usus inservire debet, »nam ad doctrinae praedi»cationem accedere debent privatae admonitiones, correctiones, »et alia eiusmodi adminucula, quae *doctrinam* sustinent et otio»tam esse non sinunt [3]).” »Disciplina igitur veluti frenum est, »quo retineantur et domentur, qui adversus Christi *dortrinam* »ferociunt [4]).” Nimirum tunc demum »vim ac authoritatem »obtinet *doctrina*, ubi minister non tantum omnibus simul ex-

---

[84]) *Inst.* IV. 18. 17; IV. 17. 35. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 283a.

[85]) *Inst.* IV. 17. 47.

[86]) *Inst.* IV. 17. 44. cf. *De Coena Dom.* Tom. VIII. 4b. et *Art. ipsa manu Calv. scripti*, *Conv. Tigur. propos.* (HENRY I. Beil. 8. S. 48.)

[87]) *Inst.* IV. 17. 39. [88]) *De Coena Dom.* Tom. VIII. 7a.

[89]) *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 292b.

[1]) *Inst.* IV. 12. 11. *Instr. adv. Anab.* Tom. VIII. 359b et 360b. *Lettres franç.* ed. BONNET. II. 69.

[2]) *Inst.* IV. 12. 1. Cf. *de nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. 59b. *Resp. c.* PIGHIUM. Tom. VIII. 121a. *Comm. in Act.* III. 1. *Ep. Calv.* Tom. IXb. p. 3a, 45b, 160b, 172a, 282. [3]) *Inst.* IV. 12. 1.

»ponit, quid Christo debeant, sed ius et rationem habet id-
»ipsum exigendi, quos vel parum *doctrinae* obsequentes, vel
»segniores animadvertit[4].” Disciplimae autem commodae institutio »non tantum valet ad opinionum diversitatem componen-»dam, sed etiam ad scandala, vitia et alias morum corruptelas »reprimendas[5];” est enim »velut paterna ferula, qua clemen-»ter et pro Spiritus Christi mansuetudine castigentur, qui »gravius lapsi sint[6].” Et tunc quidem in triplicem finem Eccles. disciplina tendit. »*Primus* est, ne cum Dei contumelia inter »Christianos nominentur, qui turpem ae flagitiosam vitam agunt, »àc si sancta eius Ecclesia foret improborum, et sceleratorum »hominum conjuratio[7].” »Alter finis est, ne assidua malorum »consuetudine, ut fieri solet, boni corrumpantur[7].” »Tertius, »ut eos ipsos pudore confusos suae turpitudinis poenitere inci-»piat[7].” — Huius autem disciplinae ministerium non unicuique permittitur, sed mandatum est collegio »de gens députéz se »donner garde, comment un chacun du troupeau se conduit, »afin de redresser ceux, qui seroient en train de se fourvoyer, »pour corriger les délinquans, admonester ceux qui seroient »mal advisez, et par ce moien prévenir tous scandales[8].” »Ceux qui sont appeléz à telles charges doibvent de leur côté »se porter si humainement, et avec telle modération, que soubs »ombre de censure nul ne soit diffamé ou grévé par calomnie, »faulx rapports et soupçons[9].” Si porro de ratione quaeritur, qua sit Ecclesiastica disciplina administranda, ante omnia »po-»nenda est ista divisio: Peccata esse alia *privata*, alia *publica*, »vel palam manifesta[10].” In publicis autem observata haec »altera quoque sit distinctio: ex peccatis alia esse *delicta*, alia »scelera sive *flagitia*[11].” Qua duplici distinctione posita, haec erit legitima agendi ratio, ut »in *occultis* corrigendis pogredia-»mur secundum gradus a Christo positos[12].” Si quis ergo »ali-»quid admiserit reprehensione dignum, patiatur se moneri; et »quisque fratrem suum, dum res portulabit, monere studeat;

---

4) *Inst.* IV. 12. 2. cf. *Ep. Calv.* Tom. IXb. p. 160a.
5) *Ep. Calv.* Tom. IXb. 147a. 6) *Inst.* IV. 12. 1. 7) *Inst.* IV. 12. 5.
8) *Lettres franç.* ed. BONNET. II. 68.
9) *Lettres franç.* ed. BONNET II. 313. cf. *Inst.* IV. 12. 11, 12, 13. et *Comm. in* 2 *Co.* 2. 6.
10) *Inst.* IV. 12. 3. 11) *Inst.* IV. 12. 4. 12) *Inst.* IV. 12. 3.

»praesertim vero in hoc advigilent pastores ac presbyteri. Si »quis eiusmodi admonitiones contemnere se ostendat, ubi se»cundo testibus adhibitis monitus fuerit, ad Ecclesiae iudicium, »qui est seniorum consessus, vocari Christus praecepit [13])" Contra in peccatis *publicis*, vel »manifestis statim procedatur ad »solemnem Ecclesiae correptionem [14]);" nam »Ecclesia, ubi tale »quid emergit, facere officium suum debet in vocando peccatore »et corrigende pro modo delicti [15])." Tunc autem »ubi ad »cognitionem ventum est, observanda est altera divisio inter »*scelera* et *delicta* [16])." In *delictis* »gravius iam admoneatur, »quasi publica authoritate, ut si revereatur Ecclesiam, subiiciet »se et pariat [17])." *Scelera* »vero aeriore remedio castigari con»venit, neque enim satis est, si is, qui edito mali exempli fa»cinore, graviter Ecclesiam laesit, verbis tantum castigetur; »sed privari ad tempus coenae communione debet, donec resi»piscentiae suae fidem fecerit [18])." Quodsi quis etiamtunc in obstinatione sua perstiterit, eliminetur ab Ecclesiae communione, anathemate feriatur [19]), et nonnisi in gravissima necessitate ad excommunicationem progrediatur consistorium [20]). »Hoc enim »differt ab anethemate excommunicatio, quod haec in mores »magis vindicat atque animadvertit, sic tamen plectit, ut futu»rae suae damnationis monendo, in salutem revocet, — illud »contra, adempta omni venia, hominem devovet et addicit aeterno »exitio [21]);" »cuius adeo aut perquam rarus, aut nullus omni»no usus esse debet [22])." »Nostrum tamen non est, qui ab »Ecclesia expulsi sint, expungere ex electorum numero, neque »ipsam personam in mortem addicamus, sed tantum, qualia sint »cuiusque opera aestimemus ex lege Domini, et pro eo tem»pore, quo in divortio manent, alienos ab Ecclesia et proinde »a Christo iudicemus [23])." Vel sic tamen semper reo rem suam agere licitum sit, quam si peregerit, curae sit Senioribus, »que le delateur soit corrigé de son inconsidération [24])."

---

13) *Inst.* IV. 12. 2. cf. *Comm. in Luc.* II. 15. et *Op.* Tom. VI^a. 258, 9.
14) *Inst.* IV. 12. 3. 15) *Inst.* IV. 12. 6. 16) Ib.
17) *Inst.* IV. 12. 2. 18) *Inst.* IV. 12. 6. 19) *Inst.* IV. 12. 10.
20) Cf. *Op.* Tom. VI^a. p. 212. et *Comm. in Ioän.* XII. 42 et XVI. 2.
21) *Inst.* IV. 12. 10. cf. de illa distinctione *Instr. adv. Anab.* Tom. VIII. 359, 60 et *Inst.* IV. 12. 4.
22) *Inst.* IV. 12. 10. 23) *Inst.* IV. 12. 8.
24) *Lettres franç.* ed. BONNET. II. 313.

Sin minus, solemniter peccatoris ab Ecclesiae corpore abscissio et rite peragatur [25]), et extra Ecclesiae communionem exsul vagetur, donec resipiscat. »Ubi autem poenitentiae suae testi»monium Ecclesiae dat peccator, et scandalum obliterat, pa»rata sit reconciliatio et in communionem receptio [26])." — Praeterea peculiaris quaedam, eaque severior inter ministros vigeat disciplina, et »Clerici inter se acriores exerceant censu»ras minusque longe sibi, quam aliis, indulgere debent [27])."

Bona Ecclesiastica.

Esset proprie in hoc nostro capite de bonorum Ecclesiae quoque usu accuratius dicendum; quum tamen ipse Calvinus nusquam Ecclesiae bona inter media, quibus operatur, recenset, verbo monuisse sufficiat, e Calvini quoque sententia, suum habere Ecclesiam aerarium, unde solvantur sumptus, quotquot exigat ministerium verbi [1]), cultus solemnis et sacramentorum administratio [2]), unde Ecclesia succurrat inopiae egenorum [3]), et scolis aperiundis eruditionem populi promoveat [4]), orphanotrophias erigat [5]), omnibus denique quibuslibet Ecclesiae necessitatibus consulat atque provideat [6]).

CONCLUSIO CAPITIS III.

Ut munere suo Ecclesia fungatur, Deus ei commisit verbum suum divinum, *veluti thesaurum quendam, in sacra scriptura*

---

25) *Inst.* IV. 12. 7.

26) *Inst.* IV. 12. 8. cf. IV. 12. 7, 10. *Comm. ad Thess.* III. 15. *Ep. ad Neocom.* Tom. IXb. 29b. *Summa quaedam capita disciplinae.* Tom. IXb. 29b. *Ep. ad Oliv.* ib. p. 143a. *Ep. ad Menson. Poppium.* ib. 204b. *Ep. ad N. N.* ib. p. 210b.

27) *Inst.* IV. 12. 22. cf. IV. 12. 1 et 23—28. Cf. ad hanc § SCHENKEL o. l. III. 228 sq., SIRVEN o. l. p. 15. WEBER o. l. p. 32. CORBIÈRE o. l. p. 23. SCHWALB. o. l. p. 135.

1) *Ep. Calv.* Tom. IXb. 7a. *de Sacr. pap. adm. abiic.* Tom. VIII. 481b.

2) *De nec. ref. Eccl* Tom. VIII. 58b.

3) *Ep. Calv.* Tom. IXb. 7b. *Adv. Anabapt.* Tom. VIII. 394b. *Scolia in ep. papae Pauli* III. Tom. VIII. 188b.

4) *Ep. Calv.* Tom. IXb. 7a. *Art. in decr. Conc. Trid. praef.* Tom. VIII. 223a.

5) *De nec. ref. Eccles.* Tom. VIII. 58b. 6) Ib.

depositum; e quo sanissima eliceretur doctrina, *quae iam a pueritia inde catechismi ope, assidua deinceps praedicatione fidelibus inculcaretur. Adiungit quoque publicum sui* cultum, *solemnem inprimis* sacramentorum administrationem, *ut fidelium cor sursum evectum Dei gloriosam magis promoveat majestatem, et fidem salvificam divinae doctrinae praestandam in se gigni sinat et augescere. Si qui sint in Ecclesia, qui coelitus revelatam doctrinam puram atque integram recipere, eiusque mandata in vita exsequi recusent, Ecclesiae incumbit officium,* disciplinae Ecclesiasticae *a Deo sibi commissae usu, per varios eius gradus contumaces admonere, sceleratos anathemate ferire, pertinaces denique ab Ecclesiae corpore abscindere, et arcere a fidelium societate, donec resipiscant.*

CAPUT IV.

ECCLESIAE REGIMEN.

---

§ 1. *Regimen coeleste.*

Postquam igitur in praecedentibus quam accuratissime in Calvinicae Ecclesiae notionem inquisivimus, et ordine simul expositum est, quibus viis ac rationibus finem a Deo sibi propositum assequi Ecclesiae queat, sponte quasi alia nunc oboritur quaestio, quibusnam sc. incumbat officium in viam planam illam atque stabilem Ecclesiam deducere; quibusnam verbi iniunctum sit ministerium, sacramentorum mandata administratio, quibusnam denique disciplinae Ecclesiastitae exercendae competat ius, et quaenam in universo iis cum ipsis fidelibus intercedat relatio. Fortasse melius igitur hoc caput »de Ecclesiae *organismo*" inscripsissemus, quia tamen »*regiminis*" vocabulum usu tritum est, et fere omnia in se comprehendit, et melioris simul latinitatis notam habet de consueta dicendi via non deflectendum esse videbatur. Sic autem de Eccl. regimine dicturi sumus, ut primum de Coelesti regimine seorsim agamus, dein regimen illud, quatenus hominibus commissum est, accuratius exposituri. Quem-

admodum enim omnis religionis natura atque indoles in eo sita esse videtur, ut intima sit rerum divinarum et humanarum coniunctio, sic quoque in Ecclesiae notione perscrutanda tam arcte necessarie cum divinis humana coniuncta deprehendimus, ut qui anxie semper et religiose inter utraque distinguere vellet, eo ipso ostenderet clare, quam parum Ecclesiae indolem perspectam sibi haberet, atque compertam. Quum tamen nostra demum aetas vidit res divinas necessarie in visibili natura inclusas latere, et nonnisi in eadem patefieri, adeoque nostrae cogitandi rationi consentaneum esset Dei Christique in Ecclesiam efficientiam in ipso hominum regimine atque operatione deprehendere, — apud Calvinum pro dualistica, cui favebat, cosmologia severe inter utrumque regimen, divinum atque humanum, distinguitur, et duo a se invicem disiuncta et iuxta veluti posita cogitantur, quare nobis quoque separatim de utroque dicendum erit. Iam quod ad *Dei* cum Ecclesia relatione attinet, in universo tenendum est »Ecclesiae praesentissimam Dei ipsius »virtutem annexam esse [1].« »Ipse igitur solus regere ac reg»nare in Ecclesiam in ea quoque praeesse vel eminere, et im»perium hoc solo eius verbo exerceri oportet [2].« »Eius tantum »verbum in Ecclesia annuntiandum est [3];« »Ille unicus legisla»tor [4],« »qui solus in Ecclesia audiendus est [5].« »Omne igi»tur regimen Ecclesiasticum sic pendet ab eius decreto, ut nihil »hominibus statuere liceat [6];« adeo ut omnes qui ex hominibus Ecclesiae praesunt, »Deum habeant auctorem sui muneris [7].« Operatur autem in Ecclesia sua Deus sanctissimi Spiritus sui virtute [8], et quidem duplici modo, »quorum haec differentia »est, quod aliquando immediate spiritum suum effundat, ali»quando contra certis mediis largitur [9].« Idcirco *immediate* vim suam exserit Deus in Ecclesia, »ut electorum numerus augea»tur, et gubernentur electi [10],« »ut initium habeat regenera-

---

1) *De aet. Dei praed.* Tom. VIII. 623b.
2) *Inst.* IV. 3. 1. cf. *vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 280b.
3) *Comm. ad 2 The.* II. 13.
4) *Comm. ad Col.* II. 23. cf. *ad 2 Thess.* II. 4. et *ad Iac.* IV. 12.
5) *Comm. ad Gal.* I. 1.
6) *Comm. ad Num.* XVII. 4.
7) *Comm. ad Exod.* XVII. 6. cf. *ad Gal.* I. 1.
8) Cf. *Prael.* VIII. *in Ezech.* III. 9.
9) *Hom. in 1 Sam.* XX. Tom. II. p. 324b.
10) *Cat. Gen.* Tom. VIII. 23a.

tio [11])," »quae electionis testimonium nobis affert" certissimum [12]). *Immediate* Spir. sctus »fidem suffuleit [13])," »mentes nostras illu»minat [14])," »ut plenius mysteria coelestia intelligamus [15])." »Sanctus Dei Spiritus Sacramentis vim suam addit [16]);" »Christi »beneficiorum participes nos reddit [17])" et »vinculum est no»strae cum illo communionis [18]). »Auctor est omnium dono»rum [19])," »a quo in universo agimur [20])," »a malo contine»mur [21])," »in cuius virtute victoria nostra consistit [22])," qui denique, quod omnium longe summum in Calvini Ecclesia est habendum, »locupletissimus testis nobis prodit, verum esse »verbum Dei [23])," adeoque nostrae nos »salutis adeo reddit »certiores, ut omnem dubitationem facile eximat [24])," et »vir»tutis suae afflatu divinam vitam sic instillat, *ut non iam ipsi a »nobis agamur, sed eius actione ac motu* [25])." Similiter quoque nullis mediis interpositis vim suam exerect Deus, 1° in recens natis, qui brevi post morte eripiuntur; nam Teleiobaptistis, qui ingerunt, »quomodo regenerentur infantes, nec boni, nec mali »cognitione praediti [26])," Calvinus respondet: »minime obscu»rum esse antea eos a Domino regenerari [27]);" et 2°, in iis, qui omni Ecclesiastica institutione inviti carent; docet enim: »Deum »virtute spiritus sui in iis agere et supplere quod deficit [28])." — Ne quis tamen putet, tam potenti iuxta ae irresistibili Dei in Ecclesiam efficientia, nullum relinqui *Christo* in Ecclesiae regimine locum. Tametsi enim extra controversiam constat, a Dei voluntate ét universam pendere Ecclesiam ét singulos fideles, ita tamen Deus regnare censendus est, »ut dederit Pater om-

---

11) *Refut. err. Serveti.* Tom. VIII. 520, et *Comm. ad Gal.* V. 25 et *ad Tit.* III. 5.
12) *Comm. ad* 1 *Co.* 1. 9 et *ad Iac.* 1. 25. 13) *Comm. ad* 1 *Io.* V. 7.
14) *Comm. ad* 1 *Thess.* V. 19. 15) *Inst.* III. 2. 34.
16) *Comm. ad Tit.* III. 5. 17) *Cat. Gen.* Tom. VIII. 15b. *Inst.* III. 1. 1.
18) *Comm. ad* 1 *Co.* XIII. 13. *Inst.* III. 2. 35.
19) *Hom. in* 1 *Sam.* l. l. in nota 9.
20) *Prael.* VIII. *in Ezech.* III. 9. *Inst.* III. 1. 1.
21) *Ant. in decr. Conc. Trid.* Tom. VIII. 243a. *Comm. ad Rom.* VIII. 26.
22) *Cat. Gen.* Tom. VIII. 24a.
23) *Comm. ad Io.* V. 7; cf. *id. ad* 2 *Co.* 1. 21, *ad Eph.* 1. 13, 14 et *ad* 1 *Io.* II. 27.
24) *Comm. ad Eph.* 1. 13, 14.
25) *Inst.* III. 1. 1. cf. *Adm. ult. ad* J. WESTPH. Tom. VIII. 706b. *Conc. in Hiob.* I, IV, XVI, XX. XXXII.
26) *Inst.* IV. 16. 17. 27) *Inst.* IV. 16. 17. cf. ib. IV. 16. 7. et IV. 15. 20.
28) *Hom.* III. *de conv. in Eccl.* Tom. VIII. 476b. cf. *Inst.* IV. 16. 19.

»nem potestatem Filio suo, ut per eius manus nos gubernet, »foveat, sustentet, sub eius tutela nos protegat, nobisque au»xilietur [29])." Christus igitur »unicum caput est, sub cuius »principatu omnes inter nos cohaeremus secundum eum ordinem »et eam politiae formam, quam ipse praescripsit [30]);" nam »ille »semper manet supremus doctor et solus Ecclesiae suae Domi»nus, cuius unius vox audiatur [31])." Eius quoque regnum tum universam Ecclesiam, tum singulos eius socios spectat. Christus *universae Ecclesiae* praeest, nam »ascensu suo quidem visibilem »sui praesentiam nobis abstulit, adscendit tamen, ut impleret »omnia; nunc igitur eum adhuc praesentem habet Ecclesia, et »semper habitura est [32])." Quod enim sedere dicitur ad Patris dexteram, »tantundem id valet, acsi vocetur Patris legatus, »penes quem sit tota imperii potestas: quia Deus mediate vult »in eius persona Ecclesiam regere ac tueri [33])." »Hoc eius re»gnum nec locorum ullis spatiis limitatum, nec ullis dimensio»nibus circumscriptum, quin virtutem suam, ubicunque placue»rit, in coelo et in terra exserat [34]);" quod eo usque valet, ut »rerum omnium conversionem a Christo fieri posse [35])," ultro fateatur Calvinus. Haec autem summa in Ecclesia potentia atque auctoritas incolumes Christo remanebit usque ad diem supremum. Tunc enim, »quum omnia in iustum ac tranquillum statum re»posita erunt, aderit illud tempus, quo tradat Christus regnum »Patri [36])," atque »impletis Christi partibus in Ecclesiae defen»sione Deus per se fiat unicum Ecclesiae caput [37])." — Ita tamen universam Eccl. regit Christus, ut simul *in singulos quoque fideles* virtutem suam exserat. Etenim »suis semper adest, vi»tam ipsis suam inspirans in iis vivit, eos sustinet, confirmat, »vegetat, conservat incolumes, non secus acsi corpore adesset: »quin denique suo ipsius corpore eos pascit, cuius communio»nem spiritus sui virtute in eos transfundit [38])," ut brevi dicam,

---

[29]) *Inst.* II. 15. 5. cf. II. 15. 3. *Comm. ad* 1 *Co.* XV. 23, 28.
[30]) *Inst.* IV. 6. 9.
[31]) *Brev. fid. conf. form.* Tom. VIII. 91b. cf. *Comm.* 1 *Co.* III. 22.
[32]) *Inst.* IV. 6. 10. cf. II. 15. 3 et *Comm. ad Eph.* I. 22.
[33]) *Inst.* II. 15. 5. cf. IV. 17. 18.
[34]) *Inst.* IV. 17. 18. cf. *Instr. adv. Anab.* Tom. VIII. 366b.
[35]) *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 282b. [36]) *Comm. ad* 1 *Co.* XV. 25.
[37]) *Inst.* II. 15. 5. cf. *Prael.* 35 *in Dan.* Tom. V. 107b.
[38]) *Inst.* IV. 17. 18. cf. *Prael.* II. *in Dan.* Tom. V. 83b.

»necessitatibus nostris subvenit, donec militia nostro perfuncti, »vocemur in triumphum [39]).” Ita Christum suis *adesse* semper, inque ipsis *habitare* absque omni dubitatione ubique locorum nos docere S. script. firmiter Calvinus pronuntiat; si contra »de »modo praesentiae quaeritur, referendum id esse dic(*it*) ad gra»tiam et virtutem [40]).” — Christi regnum natura sua spirituale est atque aeternum [41]), quod et egregie historia confirmat, quae docet, »Christum Ecclesiae suae revera fideliter ad*fuisse*, Eccle»siam virtute sua *fuisse conservatam*, ne periret; spiritu *fuisse gubernatam*, ne a veritate excideret [42]).” Sivisse quidem interdum, »ut Antichristus palam grassaretur ac tyrannidem exer»ceret in Ecclesia [43]),” »semper tamen in tanta clade suos con»servavisse, ut ex media morte salvi evaderent [44]).” Vel sic tamen cavendum esse monet, ne aequo plus huius regni mysteria perscrutari studeamus, »non enim tutum esse de coelesti »hierarchia ultra modum sapere [45]).” Quomodo regnet Christus, nobis revelatum non est, quare certa in talibus sufficiat nobis fides, qualem ipse Calvinus expressit, ubi sic in Christi laudem decantat:

»Ille quidem sine fine regit regnatque, nec annis
»Finitum tenet, aut mensibus imperium
»Aeternum huic decus est, aeterna potentia regni
»Quam nullus variat, diminuitque dies [46]).”

§ 4. *Cur Deus hominum ministerio in Ecclesia regunda utatur.*

In praecedenti § audivimus Calvinum dicentem, Deum »*ali»quando certis mediis largiri*” Spiritum suum, quem immediate ceteroquin effundit. De ea Dei in Ecclesiam efficientia, quam nullis interpositis mediis operari solet, vidimus. Instat igitur, ut de Dei per homines Ecclesiae regimine Calvini sententiam sciscitemur, adeoque dicendum nobis erit »*de ordine*, quo

---

39) *Inst.* II. 15. 3. cf. *Ult. adm. ad* J. WESTPH. Tom. VIII. 695a. *Inst.* IV. 6. 9 et *Comm. ad Eph.* 1. 22; IV. 15; V. 23 et *ad Col.* 1. 18. et II. 20.

40) *Ult. adm. ad* J. WESTPH. Tom. VIII. 695a.

41) *Inst.* II. 15. 3, 4.

42) *Resp. contr.* PIGH. Tom. VIII. 119b. cf. *Epinicion Christo cantat.* vs. 60, 61. Tom. VIII. 10a.

43) Ib. 44) Ib. 45) *Inst.* IV. 6. 10.

46) *Epinicion Christo Cantat.* vs. 11—15. Tom. VIII. 10a.

»Ecclesiam suam gubernari voluit Deus." »Tametsi enim solum »ipsum regere ac regnare in Ecclesia, in ea quoque pracesse »vel eminere et imperium hoc solo eius verbo exerceri atque »administrari oportet: quia tamen visibili praesentia inter nos »non habitat, ut voluntatem nobis suam ore coram declararet, »hominum ministerium in hoc adhibet, et quasi vicariam ope»ram, ut per os ipsorum suum ipse opus agat; qualiter ad opus »quoque faciendum instrumento utitur artifex [1])." Nihil igitur hominum regimen a divina majestate abrogat, quin imo, summa se nobis utilitate commendat. Etenim »si de coelo Ipse loque»retur, nihil mirum foret, si sacra eius oracula ab omnibus »sine mora reverenter exciperentur. Quis enim praesentem eius »potestatem non horreret.... Verum ubi homuncio quispiam »ex pulvere emersus in nomine Dei loquitur, hic nostram ergo »Deum observantiam optimo testimonio declaramus, si dociles »nos exhibemus eius ministro [2])." Simul etiam Deus »hoc mo»do suam ergo nos dignationem declarat, quum ex hominibus »sumit, qui pro se in mundo legatione fungerentur [3])." »Nihil »denique ad fovendam mutuam charitatam aptius erat, quam hoc »vinculo homines inter se colligari, *dum unus constituitur pas»tor, qui reliquos simul doceat: qui vero discipuli esse iubentur, »communem ex uno ore doctrinam excipiant* [4])." Propterea honorificentissime in verbo suo elogiis Ecclesiae ministros ornare solet Deus, »lucem mundi, salem terrae eos pronunciavit [5]);" »nec splendidius sane ornari poterant, quam quum dicit, qui »vos audit, me audit [6])." Quodsi hominum in Ecclesia ministerio tanti aestimat Deus, profecto »Ecclesiae dissipationem vel rui»nam potius et exitium molitur, quisquis *hunc ordinem*, et hoc »genus regiminis vel abolere studet, vel quasi minus necessa»rium elevat. Neque enim vel solis lumen ac color, vel cibus »ac potus tam sunt praesentis vitae favendae ac sustinendae »necessaria, quam est conservandae in terris Ecclesiae apostoli»cum ac pastorale munus [7])." Neque mortalium in hisce de-

---

[1]) *Inst.* IV. 3. 1. cf. *Comm. ad* 1 *Pe.* V. 3. [2]) *Inst.* IV. 3. 1. [3]) Ib.

[4]) Ib. Ultima verba, quae obliquis litteris exarata sunt, vide, quam egregie confirment, ea, quae cap. II. § 6. p. 25. 28 de Ecclesiae indole disputavimus.

[5]) Ib. cf. *Prael. ad Zach.* VIII. 23. et *ad Hagg.* I. 12.

[6]) *Inst.* IV. 3. 1. cf. *Ep. ad Eccl. Genev.* Tom. IXb. 11a. *Ep. ad Com. in Tarnate* Tom. IXb. 136a. *Cat. Gen.* Tom. VIII. 25a.

[7]) *Inst.* IV. 3. 2.

bilitatis excusatio accipi potest, nam ipse Deus »in servis suis »ita operatur, ut nihil agant, nisi quatenus reguntur eius Spi»ritu [8])." Praeesse igitur debet Ecclesiae *ordo hominum* [9]), per quorum os ipse Deus loquitur, dum veram doctrinam populo annunciant. Reliqui dociles esse debent discipuli, qui a vicariis Dei divinam doctrinam reverenter excipiant.

§ 3. *Quot sint ministrorum genera.*

»Qui Ecclesiae regimini secundum Christi institutionem prae»sunt, nominantur a Paulo, primum *Apostoli*, deinde *Prophetae*, »tertio *Euangelistae*, quarto *pastores*, postremo *doctores:* ex qui»bus duo tantum ultimi ordinarium in Ecclesia munus habent: »alios tres initio excitavit Deus et suscitat interdum pro ut »temporum necessitas postulat [1])." Inter quinque illa ministrorum genera ita distinguit noster, ut sint 1°. *Apostoli* ii, »qui»bus attribuuntur nulli certi fines, sed totus orbis assignatur, »2°. *Euangelistae* fuerunt viri, qui quum dignitate apostolis mino»res, officio tamen proximi erant, adeoque vices eorum gerebant;" 3°. *Prophetae* habendi sunt »non quilibet divinae voluntatis in»terpretes, sed qui singulari revelatione excellebant;" 4°. *Doctores* »sacrae scriptnrae interpretationi tantum praesunt;" 5°. *Pastores* denique »disciplinae usu, sacramentorum administra»tione, monitionibus, exhortationibus, cett. funguntur [2])." Horum omnium unice fere circa verbum divinum munus versatur, quibus inferiore loco accedunt »duo alia genera, quae perpe»tuo manent: gubernatio et cura pauperum [3])." Gubernatores »sunt *Seniores* de plebe delecti, qui censurae morum et exer»exercendae disciplinae una cum reliquis praeessent [4])," ut »ha»beat unaquaeque Ecclesia suum Senatum, circumscriptum ex »viris piis, gravibus et sanctis, penes quem est iurisdictio [5])."

---

[8]) *Prael. in Ezech.* III. 9. cf. LECHLER. *Gesch. der Presb. und Syn. Verfass.* Leiden. 1854. S. 32 sqq. et M. GOEBEL. *Gesch. des Chr. Leb. in der Rhein-Westph. Kirche.* I. S. 298 sqq.

[9]) De industria vocabulo „ordinis" utimur, ut quam proxime ad Calvini sententiam accedamus. Quo iure, doceat idem vocabulum bis in hac § linea subnotatum.

[1]) *Inst.* IV. 3. 4. cf. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 287[b], *Comm. ad Tit.* I. 9. SCHENKEL. o. l. III. 227 et 298. SCHWALB. o. l. p. 186, 187. WEBER. o. l. p. 24. DÉVISME. o. l. p. 6, 7.

[2]) *Inst.* IV. 3. 4. [3]) *Inst.* IV. 3. 8. [4]) Ib. [5]) Ib.

»Cura denique pauperum diaconis mandata est [6]).” Habemus igitur septem ministrorum genera, quae in sylloge sic apte distribuas:

	Verbi ministerium.	Iurisdictio.	Cura pauperum.
	—	—	—
extraord.	1. Apostoli.	6. Seniores.	7. Diaconi.
	2. Euangelistae.		
	3. Prophetae.		
ordinarii.	4. Doctores.		
	5. Pastores.		

§ 4. *Ministrorum electio.*

Ut »quis verus censeatur Ecclesiae minister, rite vocatus sit »oportet [1]),” quare inprimis cavendum est, »ne quis sine voca»tione publicum in Ecclesia munus sibi sumat [2]).” Omnia sc. ordine et decenter geri in Ecclesia debent, neque tantummodo ministerii aditum certis legibus circumscriptum esse monet, sed esse quoque penes Ecclesiam ius muneris adimendi iis, qui contra legem creati sunt, quin imo »exauctorandos esse, qui »in officio minus fideles se praestent [3]);” et quum sponte munus ponere recusent, esse quidem magistratus ope amovendos [4]). In ipsa autem vocatione quatuor sibi noster ponit quaestiones: videlicet, »quales, qualiter, a quibus eligendi sint, et quo ritu »sint in munere suo initiandi [5])”. Ad singulas, quid respondeat, videamus. 1°. *Quales?* — »Summa huc redit non esse eligen»dos, nisi qui sint sanae doctrinae et sanctae vitae, nec aliquo »vitio notabiles [6]).” Solemni igitur examini sese submittant [7]), et interiore praeterea vocatione excitentur, quam ipse interpretatur: »bonum cordis nostri testimonium, quod sincero Dei ti»more et aedificandae Ecclesiae studio oblatum munus recipia»mus [8]).” 2°. *Qualiter?* — Publica indicantur ieiunia; solemnes

6) *Inst.* IV. 3. 9. cf. IV. 20. 4. 1) *Inst.* IV. 3. 10.
2) *Inst.* IV. 3. 10. cf. *Brev. Conf. fid. form.* Tom. VIII. 91b.
3) *Brev. Conf. fid. form.* Tom. VIII. 91b. cf. *Ep. ad doct. Marp.* Tom. IXb. 84b. et *Ep. ad* FARELL. Tom. IXb. 55b.
4) *Scholia in Ep. Pauli* III. Tom. VIII. 184b.
5) *Inst.* IV. 3. 11. 6) *Inst.* IV. 3. 12.
7) *Ep. ad Oliv.* Tom. IXb. 143a.
8) *Inst.* IV. 3. 11. cf. de coelibatu ib. IV. 12. 23—28 et IV. 13. 3.

ad apostolorum instar habeantur orationes; »potissimum tamen »precibus incumbendum esse, quibus spiritum consilii et dis»cretionis a Deo petitur [9]." 3°. *A Quibus?* — »Haec est ex »verbo Dei legitima ministerii vocatio, ubi ex populi consensu »et approbatione creantur, qui idonei visi sunt. Praeesse au»tem electioni debere alios pastores, nequid vel per levitatem, »vel per mala studia, vel per tumultum a multitudine pecce»tur [10]." »Hic enim maxime optabilis est status populi, creare »communibus suffragiis pastores [11]," et pessime sine dubio illi agunt, qui ut populi iura infringant, ad Apostolorum vocationem provocare solent [12]. 4°. Denique: *Quo ritu initiandi sint?* Praeter manuum impositionem nullum qualemcunque ritum noster approbat; »ne tamen universa multitudo manum impo»nat, sed soli pastores [13]." Revera Calvinum manuum illam impositionem magni fecisse, et propterea quoque solis retinuisse pastoribus iam exinde suspicari licet, quod ultro alibi fatetur: »non invitus paterer sacramentum vocari [14]," et egregie haec quoqne eius verba confirmant: »Fateor, optandum esset, ut »valeret continua successio ut functio ipsa quasi per manus tra»deretur [15]." Manuum impositio sacramentum proclamatum, cum continua pastorum successione coniunctum, praeclarum sane testimonium exhibet, quam proxime saepe a Romanensibus absit Calvinus.

§ 5. *De ministrorum conventibus.*

Etsi extra controversiam constat, eius Ecclesiae regundae formae, quae Synodalis vulgo dicitur, eo sensu Calvinum patronum exstitisse ac fautorem, quod necessarie e principiis, quae Ecclesiasticae regiminis posuit, Synodorum institutio deducenda

---

9) *Inst.* IV. 3. 12.

10) *Inst.* IV. 3. 15. cf. IV. 3. 13, 14. *Comm. ad Act.* VI. 3. *de nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. 41b, 49a. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom VIII. 286b.

11) *Prael. in Mich.* V. 5. Tom. V. 321b.

12) *Inst.* IV. 3. 13. cf. *Inst.* IV. 1. 14. IV. 3. 3, 4, 5, 6. IV. 8. 9. IV. 19. 6. IV. 11. 1. *Comm. ad Rom.* I. 5. XV. 20. XVI. 7. et *Contra* PIGH. *de lib. arb.* Tom. VIII. 118b.

13) *Inst.* IV. 3. 16. cf. IV. 4. 14. et IV. 5. 4. „De diaconis quoque et Se„nioribus similis prorsus ratio est." *Inst.* IV. 3. 12.

14) *Ep. Calv.* Tom. IXb. p. 87. 15) *Inst.* IV. 14. 20. cf. IV. 19. 31.

erat, nihilominus tamen pro locorum et regionum diversitate aliis quoque Ecclesiastici regiminis formis calculum suum adiecit, et Angliae protectori, ut hoc sumam, ut Episcopos institueret, suadere ausus est [1]); et superintendenturam, quae in Germania usu venerat, ferri posse opinatur [2]). Nusquam praeterea in IV° »Inst. rel. Chr." libro dedita opera Synodorum institutio describitur, unde satis tute effici posse opinaremur, reiiciendam esse eorum sententiam, qui institutionem illam omnibus numeris absolutam atque perfectam ad Calvinum auctorem referendam esse statuunt. Quae tamen in scriptis ipsius hic illic accuratius definita deprehendere nobis contigit, breviter expendemus. Et tunc quidem 1°, Uniuscuiusque urbis pastores et seniores in unum corpus coniungendos esse censet, cui nomen indidit »*consistorii* [3])," »senatus presbyterorum [4])," »Seniorum consessus [5])," sive »Ecclesiastici iudicii [6])," sive denique »Seniorum Concilii [7])." Ut vides, pastores tunc presbyterorum sive Seniorum quoque nomine subinde afficiuntur, quorum duplex erit genus, »alii enim ad docendum ordinati sunt, »alii morum duntaxat censores [8])." 2°. Quoties res id ita postulat, totius provinciae pastores ac doctores coeant in unum [9]), quorum conventus adeo *synodus* erit *provincialis* [10]). Vel etiam conventus sit stativus, qui »numquam adeo dimittatur, prius»quam locus ac tempus proximi sint indicta [11])." 3°. Si denique lites de doctrinae puritate obortae in Synodis provincialibus ad liquidum peragi nequeunt, »ad *generale concilium*, sed non»nisi tentato illo remedio, decurrendum est [12]);" cuius convocandi jus in Germania Imperatori competere censet [13]).

---

1) *Ep. ad* SOMMERS. (HENRY II. Beilage 4. S. 40.)
2) *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 95ª. cf. LECHLER. o. l. S. 45 sqq.
3) *Ep. Calv.* Tom. IXᵇ. 76, 77, 142ª. 217ª. 4) *Inst.* IV. 11. 6.
5) *Inst.* IV. 12. 2. 6) *Inst.* IV. 12. 14. cf. IV. 11. 6.
7) *Inst.* IV. 12. 11. 8) *Inst.* IV. 11. 6. cf. IV. 11. 1.
9) *Ant. in decr. Conc. Trid.* Tom. VIII. p. 227ª et 231ª.
10) *Inst.* IV. 8. 1. cf. Ib. IV. 9. 13, IV. 12. 14, 22. *Resp. ad fac. Theol. Par.* art. XIX. Tom. VIII. 198ª. *Comm. ad* 1 *Io.* IV. 1.
11) *Inst.* IV. 12. 22. cf. IV. 3. 8.
12) *De nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. 61ᵇ. cf. *Comm. ad* 1 *Io.* IV. 1 et *Inst.* IV. 8. 1.
13) *Inst.* IV. 12. 22. cf. porro ad hanc §. *Scholia in pat. adm. Pauli* III. Tom. VIII. 178—190. *Ep. Calv.* Tom. IXᵇ. 209ᵇ. *Ant. in decr. Conc. Trid.* Tom. VIII. 231ª. *Resp. ad fac. Theol. Par.* Tom. VIII. 198ª. *Lettres franç. de Calvin.* ed. BONNET II. 352.

§ 6. *Ecclesiastici regiminis potestas.*

»Consistit ea potestas vel in doctrina, vel in iurisdictione, »vel in legibus ferendis, et spectatur partim in singulis, qui »praesunt, partim in conciliis [1];" vel etiam in ipso, quo funguntur, ministerio, nam quicquid Ecclesiae »ministris defert »scriptura, id totum non ipsis proprie hominibus, sed ministe»rio, cui praesunt, datur [2]." Quodsi potestatem illam in universo spectamus, hoc inprimis tenendum est, esse eam spiritualem [3], et unice in Ecclesiae aedificationem tendere [4]; pendere »(autem) totam a clavibus, quas Christus Ecclesiae suae contu»lit in locis Matth. XVIII. 18, XVI. 19 et Ioän. XX. 23 [5];" inter quos sic distinguendum esse noster docet, »ut in Matth. »XVI et Ioän. XX de generali doctrinae authoritate agatur, in »Matth. XVIII contra ius Synedrii in posterum transferatur »in Christi gregem [6]. Neque tamen »sic diversos eos facit, ut »non multam haberent inter se affinitatem. Hoc enim utro»bique simile est, quod utraque est generalis sententiae, eadem »semper ligandi solvendique potestas, idem mandatum, eadem »promissio [7]," »nec alio referri debent, quam ad verbi minis»terium [8]." Quum enim »nihil asseverat Christus in Euangelii »praedicatione Apostolorum esse praeter ministerium. Se esse qui, »per eorum ora, velut per organa loqueretur omnia et promitte»ret [9];" sequitur remissionem peccatorum," quam illi annuntiant, »veram esse Dei promissionem:" et ipsius Christi »testificatio »certiores nos reddit, Euangelii verbum, a quocunque tandem »homine praedicetur, ipsissimam Dei esse sententiam, apud sum»mum tribunal promulgatam, in libro vitae scriptam, in coelo »ratam, firmam atque fixam [10]." Ministris igitur »ad hoc bonum »impartiendum claves datae sunt [11]), quandoquidem »euangelio »continentur omnia, quae nobis per Ecclesiae ministros dispen»santur [12]." Versatur autem eorum potestas, 1°. *circa doctrinam.* Nimirum Ecclesiae minister »non aliud habent officium, nisi »ut doceant, quod sacris scripturis proditum est, ac consigna-

---

1) *Inst.* IV. 8. 1. 2) *Inst.* IV. 8. 2. cf. IV. 8. 11.
3) *Inst.* IV. 8. 1. „de spirituali tantum loquor, quae propria est Ecclesiae."
4) Ib. 5) *Inst.* IV. 9. 1. 6) *Inst.* IV. 11. 1.
7) *Inst.* IV. 11. 2. 8) *Inst.* IV, 11. 1. 9) Ib. 10) Ib.
11) *Inst.* IV. 1. 22. 12) Ib.

»tum. Constituimus igitur, inquit, non esse iam fidelibus »ministris relictum, ut novum aliquod dogma excudant, sed »simpliciter inhaerendum esse doctrinae, cui Deus omnes »sine exceptione subiecit [13]);" nam »sic omnes docendi partes »in Filio complevit Deus, ut hoc ultimum aeternumque ab eo »habendum sit testimonium [14]).“ Qui autem Ecclesiae ministri intra limites sacrae scripturae sese continent, illi »verbo Dei »confidenter omnia audeant; eius maiestati omnem mundi virtu-»tem, gloriam, sapientiam, altitudinem cedere atque obedire »cogant: eius potentia fulti, omnibus imperent; Christi domum »aedificent, Satanae subvertant: oves pascant, lupos profligent: »dociles instituant, et exhortentur; rebelles et pervivaces, ar-»guant, increpent, subigant: ligent ac solvant, fulgurent deni-»que, si opus est, ac fulminent: sed omnia in verbo Dei. [15])" Iam quod ad huius codicis interpretationem attinet, erit qui-dem probe cavendum, »ne solis episcopis potestas fiat aliis »dictandi, quod necessario sequatur [16]).“ »Atqui nemo interea »nostrum est, qui non libenter suas lucubrationes Ecclesiae iu-»dicio submittat [17]):" »Si quo igitur de dogmate incidat discep-»tatos [18])," »pii doctores religiose in commune inquirant [19])," et »definitionem ex sacra scriptura desumptam proferant [20]);" vel potius etiam »ad generale concilium decurrendum erit [21])," ut »nempe Ecclesiae inter se communem cognitionem susci-piant [22]);" et commodius in unum collecti Episcopi in commune »deliberent, quid sibi et qua forma docendum sit [23])." »Multo »enim plus ponderis habet eorum definitio, quam si quisque »seorsim domi conceptam populo traderet [24])." — 2°. *Legum ferendarum potestas.* Leges in Ecclesia aut cultum Dei spectant, aut »constitutiones sunt, quae ad disciplinam, vel honestatem, »vel pacem conservandam faciunt [25])." In iis, quae cultum sa-

---

13) *Inst.* IV. 8. 9. 14) *Inst.* IV. 8. 7. cf. IV. 8. 15.
15) *Inst.* IV. 8. 9. 16) *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 280a.
17) *Inst.* IV. 9. 13. cf. *de aet. Dei praed.* Tom. VIII. p. 600b.
18) *Inst.* IV. 9. 13. cf. IV. 8. 11.
19) *Ant. adv. decr. Conc. Trid.* Tom. VIII. 231a.
20) *Inst.* IV. 9. 13. cf. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 279a.
21) *De nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. 61b. 22) *Inst.* IV. 9. 13.
23) Ib. cf. *Inst.* IV. 9. 8.
24) *Inst.* IV. 9. 13. Praeterea „ad Ecclesiae quoque officium pertinet, ut „scripturas veteras a supposititiis discernat." *Vera Eccl. ref. ratio.* Tom. VIII. 279b.
25) *Inst.* IV. 10. 1.

crum definiunt, ante omnia tenendum est, »Deum repudiare »omnem ἐθελοθρησκείαν, quae, utcunque speciem habeat sapien»tiae, quia tamen pendet ex hominum placitis, evanescit[26]." Sunt igitur in abominatione habendae »verbo Dei contrariae »constitutiones omnes, quae ad verum Dei cultum finguntur »pertinere, et quibus servandis conscientiae obligantur[27]." Quas autem secundo loco posuit noster constitutiones, »tales nemo »sobrius non fatebitur et iure ferri ab Ecclesia et ab omnibus »piis servandas esse[28]." — 3°. *Iurisdictio.* »Iurisdictionis potes»tas nihil aliud est, quam ordo comparatus ad spiritualis poli»tiae conservationem[29])," quem in Ecclesia ipse Christus instituit, quum clavium potestatem ei commisit[30]). Est ea potestas pastoribus una cum senioribus deferenda[31]), qui »tamen non ha»bent ius gladii, non imperium, non carceres, non poenas alias, »quae solent infligari a magistratu[32]); sed hoc tantum agunt, »ut voluntaria castigatione poenitentiam profiteatur, qui pecca»vit[33])." Istiusmodi autem auctoritas deferri iis debet, quod »Ecclesiae iudices errare nequeunt, nec a Dei iudicio dissentire, »quia nonnisi ex lege Dei iudicant, quae sancta Dei voluntas »est, et oraculum coeleste[34])."

§ 7. *Ecclesiastici regiminis officia.*

»*Doctorum* officium similem fere rationem et unum prorsus »finem habet ac munus propheticum[1])," atque »a verbi adeo ministerio et sacramentorum administratione abstinere[2])" debent doctores, qui unice contra »tam formandis pastoribus, quam »toti Ecclesiae erudiendae praesunt[3])," et divinam doctrinam »contra impios errores defendunt[4])." — *Pastores* non aliud ha»bent officium, nisi ut doceant, quod sacris scripturis proditum »est ac consignatum[5])," unde colligere licet, »in pastorum

[26]) *Ant. in decr. Conc. Trid.* Tom. VIII. 237b.
[27]) *Inst.* IV. 10. 8. cf. IV. 10. 3, 5. 6.
[28]) *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 280a. cf. *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 95a.
[29]) *Inst.* IV. 11. 1. [30]) *Inst.* IV. 11. 5. [31]) Ib.
[32]) *Inst.* IV. 11. 3. cf. ib. IV. 11. 5. [33]) *Inst.* IV. 11. 3.
[34]) *Inst.* IV. 11. 2. cf. CORBIÈRE. o. l. p. 11. WEBER. o. l. p. 27. DÉVISME. o. l. p. 6, 7.
[1]) *Inst.* IV. 3. 5.
[2]) *Resp ad. quaest. Tossani.* Tom. IXb. 199. cf. *Inst.* IV. 3. 4.
[3]) *Adm. ult. ad* WESTPH. Tom. VIII. 686b.
[4]) *Comm. ad Eph.* IV. 11. et *ad Rom.* XI. 7. [5]) *Inst.* IV. 8. 9.

»has esse duas praecipuas partes, Euangelium annuntiare et »sacramenta administrare. Docendi autem partes non in publi»cis tantum concionibus consistunt, sed ad privatas etiam admo»nitiones pertinent [6].” »Una cum senioribus iurisdictioni Eccle»siae praesunt [7]:” ministrorum electionem moderantur [8], electosque manuum impositione inaugurant [9], publicis precibus praeeunt [10], matrimonia solemniter consecrant [11], visitant atque consolantur aegrotos [12], »privatam denique eamque voluntariam »confessionem moderantur [13].” Iisdem quoque officium incumbit »catechizando pueros docere atque eruditos manuum impositione »confirmare [14].” In universo denique »omnes suas curas in »utilitatem suae Ecclesiae conferant [15],” »religionem sancta ira »defendant [16],” »gregem sibi commissam paterna cura fove»ant [17],” neque unquam sine mandato eam deserant [18],” et religiose »ab aliis occupationibus abstineant [19].” Nihil omnino »sine scripturae mandato gerant [20],” eorum autem, quae secundum divinam legem iniuncta sunt, eventum non metuant [21], »modo comiter potius persuadeant, quam violenter cogant [22].”— *Seniores.* »(Les anciens) sont des gens, qui ont la superinten»dance de veiller sur la vie de chacun [23],” et »a se donner »garde, comment un chacun du troupeau se conduit pour corri-

---

6) *Inst.* IV. 3. 6. cf. IV. 3. 8, IV. 8. 12, IV. 4. 3, IV. 15. 22, *Cat. Gen.* Tom. VIII. 22a. *Comm. ad* 1 *Co.* IV. 1. et *ad Eph.* IV. 11. *De Scandalis.* Tom. VIII. 89a. *Ant. in decr. Conc. Trid.* Tom. VIII. 257b. *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 96.

7) *Inst.* IV. 11. 5. 8) *Inst.* IV. 3. 15. 9) *Inst.* IV. 3. 16.

10) *Inst.* III. 20. *Ep. ad Prot. Angl.* Tom. IXb. 41b.

11) *De vit. superst.* Tom. VIII. 438b. 12) *Form. de vis. aegr.* Tom. VIII. 36b.

13) IIa. *Def. de re Sacram.* Tom. VIII. 678b. Quid censeat Calv. in hisce, colligere licet ex his eius verbis: „privata absolutio, quam sit utilis, negare „propositum mihi non est: modo libera sit et superstitione pura, commendo „etiam.” ib. cf. *Inst.* IV. 19. 14. III. 3. 4. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 285b. *De nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. 51b.

14) *Inst.* IV. 19. 13. cf. IV. 19. 4. *Vera Eccl. ref. rat.* Tom. VIII. 284a.

15) *Resp. ad Bald.* Tom. VIII. 321a.

16) *Ep. Calv.* (HENRY I. Beil. 3. S. 141a.)

17) *De Sac. pap. vel adm. vel abj.* Tom. VIII. 424b. cf. HENRY I. Beil. 8. S. 47.

18) *Ep. Calv.* (HENRY I. Beil. 17. S. 78) cf. (ib. II. Beil. 4. S. 34.)

19) *Lettre aux Mess.res de Lyon.* (HENRY III. Beil. S. 169.)

20) *Inst.* IV. 19. 5. 21) *De Scandalis.* Tom. VIII. 89b.

22) *Comm. ad* 1 *Thess.* IV. 1.

23) *Lettre à la Duch. de Ferr.* (HENRY IIIb. p. 143). cf. *Ep. ad Tig. min.* Tom. IXb. p. 75a.

»ger les scandales[24]." Sunt igitur »gubernatores, qui censu»rae morum et exercendae disciplinae praesunt[25]." Ubi in commune agunt semper pastores iis adiunguntur[26]), ut una cum iis *consistorium* constituant[27]). In iurisdictione Calvinus semper eorum coöperationem requirit, nam »e re Ecclesiae non putat, »ut ius excommunicandi solis pastoribus tribuatur[28])." Postulat in iis »pietatem, gravitatem[29]);" »qu'ils soient gens crain»gnans Dieu de vie saincte et de telle rondeur, que rien ne les »empesche de faire leur office aiant zele tel, quil appartient a »maintenir lhonneur de Dieu en son entier[30])." — *Diaconis* »mandata est cura pauperum[31])." Etsi igitur in universo nihil aliud eorum officii est, nisi, »ut Ecclesiae oblationes et annuos »proventus accipiant, et in veros usus conferant[32])," requirit tamen noster, »eos esse in mysterio fidei eruditos,... quia »saepe incidat necessitas monendi et consolandi, nisi partibus »suis deesse velint[33])." Ut in pauperum egestate sublevanda omnia porro ordine peragantur, commode in duas partes eorum ordo dispescetur, ita ut aliis »distributio Eleemosynarum sit »permissa, aliis cura pauperum et morbidorum mandata sit[34])." Illi, qui Ecclesiae aerarium commissum sibi habent, nummos sibi comparent, aut ex annuo proventu[35]), sive fundorum reditus is sit, sive decimae a toto populo exactae[36]), aut ex Eleemosynis »pro arbitrio et animi affectione datis[37])." Quicquid autem Ecclesiae redit »pauperum est patrimonium habendum[38]);" quod deinceps in »quattuor partes distribuatur, quarum una »clericis, altera pauperibus, tertia sacris aedibus et aliis aedificiis »sartis tectis tuendis, quarta vero advenis pauperibus assignatur[39])."

---

[24]) *Lettres franç.* ed. BONNET. II. 68. [25]) *Inst.* IV. 3, 8. cf. IV. 11. 1, 6.
[26]) *Inst.* IV. 12. 2. cf. IV. 11. 6, IV. 3. 8. *Comm. ad* 1 *Pe.* V. 1 et *ad* 1 *Tim.* V. 17.
[27]) Cf. § 5. huius capitis. [28]) *Ep. Calv.* Tom. IX[b]. 82[a]. [29]) *Inst.* IV, 3. 8.
[30]) *Lettre à la Duch. de Ferr.* (HENRY III[b]. p. 413.) cf. *Comm. ad* 1 *Co.* V. 4. et *Inst.* IV. 12. 7 et IV. 11. 5.
[31]) *Inst.* IV. 3. 9.
[32]) *Inst.* IV. 4. 5. cf. *de perqu. rel. Sct.* Tom. VIII. 214[a].
[33]) *Comm. ad* 1 *Tim.* 3. 9. [34]) *Comm. ad Ro.* XII. 8. cf. *Inst.* IV. 3. 9.
[35]) *Inst.* IV. 4. 6. [36]) *De Sacr. pap. adm. abj.* Tom. VIII. 431b.
[37]) *Adv. Libertin.* Tom. VIII. p. 394[b].
[38]) *Inst.* IV. 4. 8. cf. IV. 4. 6. *Scholia in Ep. Pauli* III. Tom. VIII. 188[b].
[39]) *Inst.* IV. 4. 7. cf. *Ant. in decr. Conc. Trid.* Tom. VIII. 223[a]. *adv. Libertin.* Tom. VIII. 394[b]. *de nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. 58[b]. *Ep. Calv. ad Farell.* Tom. IX[b]. 7[a]. *Comm. ad* 1 *Tim.* V. 17 et *ad* 1 *Co.* IX. 13.

ita tamen, ut ea pars, quae sacris aedibus destinata est, »salva pauperibus maneat, si qua maior necessitas incidat [40]." Hac autem lege Ecclesiae aerario praeficiantur Diaconi, »ut Ecclesiae et magistratui rationem quotannis reddant [41]." — Vides nullum in Calvini Ecclesia requiritur collegium, cui aerarii cura, praeter eleemosynarum dispensationem, esset mandata; diaconis haec omnia permisit. Quod decimas quoque inter Ecclesiae reditus recensuimus, de industria hoc fecimus, hisce ad id Calvini verbis inducti: »Equidem, si quibus ordo iste approbetur, ut quemadmodum apud Israëlitas decimis alebantur Levitae, ita in populo etiam Christiano decimae colligantur, quae in alimenta pastorum conferantur, nihil reclamo: quin potius eorum sententiae meum quoque calculum addo, quandoquidem alicunde certe desumi, quod ad sustentandum Ecclesiarum ministros impendatur, necesse est. Nec expedire mihi videtur, quod aequissime constitutum fuerit, sine causa innovari [42]." Est enim »a Domino ordinatum, ut ministris alimenta suppeditent Ecclesiae [43]," ut »tantum iis erogetur, quantum ad frugalitatem, ordine suo dignam, sufficit [44]," ut reddantur iis quoque »impensae, quae non privati compendii gratia, sed in publicam Ecclesiae necessitatem fiunt [45]."

§ 8. *Ecclesiae regiminis ad Ecclesiam relatio.*

Quod in initio huius capitis indicavimus potius, quam demonstravimus, Ecclesiae sc. regimen e mente Calvini *ordinem* constituere, locupletibus nunc testimoniis attestabimur. Res enim gravissimi momenti est, et omnem propemodum fideles Ecclesiae et ministros inter relationem luculenter nobis detegit. Ne autem in voce illa ludere videamur, quae in polemicis tractatibus ita saepe a circumiectis definitur, ut nihil omnino in genuina Calvini sententia indaganda proficiat, testes unice ex Inst. rel. Christ. citabimus, ubi thetice magis Ecclesiam suam describit. Et tunc quidem, nullum sane luculentius et perspicuum magis

---

40) *Inst.* IV. 4. 7. cf. *Resp. ad* SADOL. Tom. VIII. 106b.
41) *Resp. ad* SADOL. Tom. VIII. 106b.
42) *De sacr. pap. adm. abj.* Tom. VIII. p. 431b. 43) *Comm. ad* 1 *Co.* IX. 13.
44) *Ep. ad* SADOL. Tom. VIII. 106b. cf. *Ant. in decr. Conc. Trid.* Tom. VIII. 223b.
45) *De nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. 58b.

testimonium requiri potest, quam praebent nobis haec eius verba: »*Dividamus Ecclesiam in duos ordines praecipuos: cle»rum sc. et plebem* [1])." Quae verba clare simul nobis ostendunt, quid sibi voluerit, ubi in praefatione huius libri dixit; »Quare »postulat dicendi ratio, ut nunc de Ecclesia, eiusque regimine »et *ordinibus* tractemus [2])." Quibus consentaneum est, eum, ubi ad pastores pervenit oratio, his verbis ordiri: »Iam de *ordine* »dicendum est, quo Ecclesiam suam gubernari vult Deus [3])." Quodsi igitur extra controversiam duobus hisce testimoniis positum est, in duos *ordines* ecclesiam a Calvino esse divisam, eodem quoque sensu »ordinis" vocabulum accipiendum esse videtur in § 5, ubi, postquam de pastorum institutione, et de summa praedicationis utilitate fusius disseruit, in hunc modum pergit: »Ergo ut sciamus ex vasis testaceis (pastoribus sc.) nobis pro»ferri inaestimabilem thesaurum, Deus in medium prodit, et »quatenus *huius ordinis* auctor est, vult se praesentem in sua »institutione agnosci [4]);" et paullo inferius: »nobis vero tenen»dum est, Ecclesiam non aliter aedificari,... nisi dum uno »consensu discendo et proficiendo *ordinem* Ecclesiae a Deo prae»scriptum colunt [5])." Etiamsi quis autem opinaretur, in duobus postremis locis »ordinis" vocabulum ad omne potius Ecclesiasticum institutum referendum esse, tamen, quae priore loco citavimus Calvini verba, tam aperta sunt ac dilucida, ut sola per se facile rem conficiant, et luce clarius ostendant nobis, esse revera a Calvino fideles inter et Ecclesiasticum regimen »ordinis" discrimen interpositum [6]). Cum iis quoque, quae supra de Ecclesiae indole exposuimus egregie haec quadrant. Si enim Ecclesia institutum habetur doctrinale, sequitur similem regimini Ecclesiae cum ipsis fidelibus intercedere relationem, qualis in scola ab eo, qui docet, eum distinguit, qui docetur; ut verbo dicam, qualis *doctoris* est ad *discipulos* suos relatio. Praesto sunt ipsius Calvini verba, quae praeclare sententiam nostram confirmant, ubi dicit: »Unus constituitur pastor, *qui reliquos »doceat; qui vero discipuli esse iubentur*, communem ex uno ore »doctrinam excipiant [7])." Eandem quoque sententiam colligimus e loco sequenti, ubi dedita opera docet fideles Calvinus, quid

---

1) *Inst.* IV. 12. 1. 2) *Inst.* IV. 1. 1. 3) *Inst.* IV. 3. 1.
4) *Inst.* IV. 1. 5. 5) Ib.
6) Cf. SCHENKEL. o. l. III. 298. 7) *Inst.* IV. 3. 1. cf. IV. 1. 4.

debiti officiique eorum sit erga pastores: »Inprimis expendite, »quaeso," inquit, »quo honore affecerit et quid contulerit illis »Dominus, quos in Ecclesia sua instituit Pastores et verbi mini»stros. Non modo enim iubet nos obsequentes praestare cum »metu ac tremore verbo ipsius, dum nobis annuntiatur, sed »etiam honore et reverentia prosequendos mandat verbi mini»stros, tanquam ipsius legatione ornatos, et *quos agnosci velit*, »*ut suos etiam angelos* [8])." Et in vicinis addidit: »haec regula »fixa inhaereat, nempe eos, qui locum ministrorum verbi te»nent, quando regimen animarum vestrarum ipsis est commis»sum, agnoscendos vobis esse parentum loco, et in pretio »habendos atque honorandos propter illud munus, quo fungun»tur apud vos ex Domini vocatione [9])." Ecclesiae igitur auctoritatem sic commendat, »ut dum illa violatur, Dei ipsius »auctoritatem imminui [10])," reputent fideles; Deus enim nos iubet Ecclesiae pastores »audire, et, *quam proponunt Christi »doctrinam, ex eorum ore cum reverentia excipere.* Itaque qui »ipsos contemnit, audireve detrectat, Christum contemnit, ac »discessionem facit a societate fidelium [11])." Qui contra fideles Christi servos praestare se velint, »eorum revereantur iudi»cium, monitionibus pareant, communionem denique religiose »colant [12])." Placide eorum reprehensiones admittant [13]), et omnibus Ecclesiasticis institutionibus summum deferant obsequium [14]). »Summo igitur studio tempus concionum observent [15])," memores, »ad confessionem nominis sui Dominum vocare omnes [16]);" et omnia, quae sua sunt, sic accepta Deo referant, ut, »ne »vel amissionem huius praesentis vitae moleste ferant [17])." Valent haec de omnibus pariter Ecclesiae sociis, sine ullo quolibet aetatis discrimine, nam ubi rogatur in Catechismo: »Semelne »a pastore suo institutum fuisse satis est homini Christiano,

---

8) *Ep. ad Eccl. Gen.* Tom. IXb. p. 11a. 9) Ib. 10) *Inst.* IV. 1. 10.

11) *Cat. Gen.* Tom. VIII. 25a. cf. *Inst.* IV. 1. 5. IV. 2. 10. et *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 95a. 12) *Inst.* IV. 2. 10.

13) *Lettr. à la Duch. de Ferr.* (HENRY IIIb. S. 144.) cf. *Lettre à Mad. de Caunay* (HENRY I. Beil. 21. S. 92.)

14) *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 95a.

15) *Hom. de conv. in Eccl.* Tom. VIII. 474a. cf. *Cat. Gen.* Tom. VIII. 15a.

16) *De vit. superst.* Tom. VIII. 435a.

17) *Hom. de pers. fer.* Tom. VIII. 472b. cf. *Comm. ad Philem.* vs. 3. *Comm. ad* 1 *Co.* IV. 7 et *ad Coll.* IV. 14. *De fug. pap. ill. sacr.* Tom. VIII. 422a. *Inst.* III. 7. 5 et IV. 1. 12.

»an cursum hunc tota vita tenere debet?" cum emphasi noster respondet: »Coepisse parum est, nisi perseveres, Christi enim »discipulos usque in finem, vel sine fine potius nos esse oportet. »Hanc enim functionem mandavit Ecclesiae ministris, *ut suo »nos loco et nomine doceant*[18])." Si qui ergo irrepserint in Ecclesiam abusus, quorum proluvie sive doctrina contaminatur, sive cultus, reformandi in talibus ius pastoribus integrum seponant. Ipsi autem fideles, »quorum non est abusus corrigere... »ab illis sese subducant, ut sese integros et incontaminatos in »Dei cultu praestent[19])."

CONCLUSIO CAPITIS IV.

Summum in Ecclesia imperium ipse Deus tenet, qui tamen Filio suo usque ad supremum iudicium regnum illud tradidit. Operatur autem in Ecclesia Christus, vel si mavis, ipse Deus, duplici modo, aut sc. spiritus sui virtute ipse solus, nullis mediis interpositis, in corde hominum voluntatem suam exsequitur, aut contra ita potentiam suam sponte circumscribit, ut spiritus sui efficacitas hominum intermediae actioni alligetur. Quatenus autem hominibus a Deo commissum est Ecclesiae regimen, unice fere ministrorum ordine *continetur, quibus perpetuum incumbit officium, ut tradant populo e sacra scriptura elicitam doctrinam. Si qui sint in eorum numero prae ceteris sagaces et vasta pollentes eruditione,* doctoris *titulo ornentur, et hoc sibi mandatum habeant officium, ut in doctrinae fontes penitius inquirant, et summam suscipiant sollicitudinem, ne quando desint in Ecclesia viri, qui magistri partes apud plebem sustinere queant. Omnes simul sacrorum antistites, quatenus* verbi divini ministri, *Dei vicarios agant, adeoque divina, qua investiti sunt, auctoritate fulti, collectionem s. script. constituant, atque ultimo loco discernant, quae vera sit a Deo revelata doctrina, quam plebi deinceps annuntiare debent atque inculcare* pastores. *Quodsi quis inter fideles, suo marte satagens, in*

---

18) *Cat. Gen.* Tom. VIII. p. 25a.

19) *Conf. fid. n. Eccl. Gall.* Tom. VIII. 95a. cf. *Ep. ad Bull.* (HENRY IIIb. 88), *adv. Pseudonicod.* Tom. VIII. 448b. *Hom.* 1a *de fug. idol.* Tom. VIII. 461. *Resp. contra* PIGH, Tom. VIII. 120a. *Scholia in adm. Pauli* III. Tom. VIII. p. 185a.

alias abripiatur cogitationes, praesto est ministro disciplinae usus, quo fides, leniter exhortando primum, vi deinde exigatur. Turbulentiores, qui ne vel sic debitam obedientiam praestare velint, magistratus gladio aut coerceantur a malo, aut tollantur e medio. — Huic ministrorum ordini *opponitur* plebs, *qui reverenter et cum veneratione divinam doctrinam excipere, et, qui eam praedicant, summo obsequio prosequi debent. Aliquo sane iure in Ecclesia gaudent, quatenus ratio eorum habetur in ministris eligendis atque in Seniorum institutione.* Seniores *sc. medium veluti locum inter utrumque Ecclesiae ordinem occupant, et sedulo pastoribus succurrere debent in doctrinae puritate tuenda. Una cum pastoribus morum censuram agunt, et plebis in Ecclesia iura strenue debent defendere. — Ecclesiae organismo annexum potius, quam cum eo coniunctum est,* Diaconorum *ministerium, qui egenorum inopiae opitulantur, totum Ecclesiae aerarium administrant, et hoc pacto cum ministris cooperari possunt, ut gratia, qua fruuntur apud pauperes, doctrinae promoveant auctoritatem.*

CAPUT V.

ECCLESIAE ERGA DISSENTIENTES ET MAGISTRATUM RELATIO.

---

§ 1. *Ecclesiae erga dissentientes relatio.*

Clamat res ipsa religiosissime fidelibus ab externo haereticorum cultu abstinendum esse. Nam prae ceteris omnibus hoc inprimis interdictum sibi putat Calvinus, »ne eum quisquam, aut missae »sacrilegio communicantem, aut coram simulacro caput detegen»tem conspiciat, aut ullam omnino superstitionem suscipientem »ex earum genere, quibus obscurare Dei gloriam, quibus eius »religionem profanari, quibus eius veritatem corrumpi .... »documus; quas usurpare non potes, quin et impiis confessio»nem edas, in Deum penitus contumeliosam; et imbecillos fra»tres in exitialem ruinam exemplo tuo trahas [1]." Fugienda

---

[1]) *De fug. imp. ill. sacris.* Tom. VIII, 421[b], cf. *de vit. superst.* Tom. VIII, 452[a]. *Inst.* IV. 2. 5. *Comm. ad Tit.* III, 10.

igitur sunt illicita eorum sacra et superstitiones vitandae, quod tamen non impedit, quominus christiano amore prosequamur, qui per inscitiam in errores inducti sunt. »Certe charitatem a »nobis minime negligi, nedum violari, inde apparet, quod non »alio referimus omnia studia nostra, nisi ut miserae animae in »spem salutis revocemus. Sed eam partem aspernamur, quae »vetus catholicorum et Romanae Ecclesiae nomen retinet, om»nemque eius communionem defugimus, nec amore et miseri»cordia prosequimur, ut decuerat, sed abominamur ut corpus »Satanae et Anti-Christi [2])." »Quae enim pars fideli cum infi»deli? Quae societas tenebris cum luce? Quae concordia Christi »cum Belial? Quis porro consensus templo Dei cum idolis [3])?" »Ab omni tamen infidelium necessitudine non usque eo (vult) »Christianos abhorr(ere), ut nulli inter eos intercedant civiles »contractus, nulla commercia, nulla denique colloquia. Nam »alioqui exeundum esset ex hoc mundo: sed nullam coire socie»tatem permitt(it), quae horum imitandis superstitionibus fideles »irretiat [4])." Quam parum autem sibi in talibus constiterit Calvinus, ubi materiali Ecclesiae, cui favebat, notione impeditus sententiam ferre debebat, clare haec eius verba testantur: »Ergo »si ex duobus malis eligendum sit levius, facere aliter non posse »arbitror, qui sub Papatu degit, quam ut liberos suos ad Bap»tismum, quamvis adulteratum, offerat [5])." Fugere debemus et vitare religiossisime Romanensium sacra, nulla est cum luce tenebris communio, nulla Christi cum Satane concordia; ubi tamen externa Ecclesiae participatio damnum caperet, »quamvis »adulteratum" Satani Baptismum Deo acceptum fore et prodesse nobis existimat. Quodsi inter ipsos fideles dissensio quaedam oboriatur, tamen, ut se invicem tolerent, hortatur, »nempe si »qua levis superstitio et inscitia simplicium mentes occupat, ut »eam patientia corrigere studeant potius, quam intemperanter »ad vindictam efferveant. In graviore errorum gen(ere), etsi casti»gationem meretur, mediocris tamen adhibenda est severitas: »tantum ne indulgentia alatur eorum improbitas et contumacia,

---

[2]) *Resp. ad versip. quendam.* Tom. VIII. 312a. cf. ib. p. 305b, et *Inst.* IV. 12. 9.

[3]) *De fug. imp. ill. sacr.* Tom. VIII. 413a. cf. *de occ. Dei provid.* Tom. VIII. 647b. *Ad praec. Lugdun.* Tom. VIII. 322b et 323a.

[4]) *De fug. imp. ill. sacr.* Tom. VIII. 413a.

[5]) *Ep. ad Lael. Zozin.* Tom. IXb. 57a.

»qui fidei unitatem scindere cuperent [6]).” Contra gravissimum ma-»gistratus officium est, gladio et poenis coërcere, qui, quum ipsi »sint apostatae a recta fide, alios ad defectionem sollicitant, et in »Deum contumeliosi miseras animas illaqueant suis fallaciis, pa-»cem conturbant Ecclesiae et pietatis consensum scindunt ac la-»cerant [7]).” Melius etiam, quam in verbis illis, eius erga dissentientes sententiam ex amara edocemur inscriptione eius contra Servetum tractatus: »*ubi docetur haereticos iure gladii coercen-»dos esse* [8]).”

§ 2. *Ecclesiae erga magistratum relatio.*

»In politia bene composita principium teneat religio [1]),” sed habet tamen civilis quoque oeconomia tantam utilitatem, ut »de »ea exterminanda cogitare, immanis esset barbaries: cuius usus »inter homines non minor, quam panis, aquae, solis, et aëris, »dignitas quidem multo praestantior est [2]).” Etenim magistratus, de quorum munere ad verbi Dei amussim iudicandum est [3]), populo »Dei mandato praesunt [4]),” Dei sunt vicarii [5]) et veritatis organa [6]). »Eorum vocatio coram Deo sancta est et legi-»tima [7]);” »non enim huc spectat solum, ut spirent homines, »edant, bibant, foveantur: sed ne idololatria, ne in Dei nomen »blasphemiae, aliaeque religionis offensiones publice emergant [8]).” »Magistratus quoque officia extendunt sese ad utramque Legis »tabulam [9]),” et stolidum esset contendere, »eos neglecta Dei »cura iuri inter homines dicundo tantum esse intentos [10]).”

---

6) *Ref. err. M. Serveti.* Tom. VIII. 516a.

7) Ib. Tom. VIII. 513a. cf. *Praef. in Dan.* IV. 1, Tom. Va. 51a. *Comm. ad Acta* IX. 22.

8) Ib. vide titulum Tom. VIII. 510. 1) *Ref. err. M. Serv.* Tom. VIII. 515a.

2) *Inst.* IV. 20. 3. cf. IV. 20. 2. *Instr. adv. Anab.* Tom. VIII. 364b.

3) *Inst.* IV. 20. 7. Cf. IV. 20. 4, 9, 14, 25. *Instr. adv. Anab.* Tom. VIII. 365a. *Ref. err. M. Serv.* Tom. VIII. 515a.

4) *Comm. ad* 1 *Pe.* II. 14. 5) *Inst.* IV. 20. 9. cf. IV. 20. 6.

6) *Inst.* IV. 20. 6. cf. IV. 20. 25.

7) *Inst.* IV. 20. 4. cf. *Prael. in Hoseam.* XIII. 1.

8) *Refut. err. M. Serv.* Tom. VIII. 515a. cf. *Hom. in* 1 *Sam.* Tom. II. 112b, 113, 173a, 174, 175, 360. *Comm. in Psalm.* II. 10, XXIX. 1, LXXXII. 3, CI. 5, CVI. 34. *Comm. in Iesaïam* III. 4, 13, XX. 20, XXII. 21, 24, XXX. 22. *Prael. in Mich.* III. 12. *Comm. in Luc.* XIV. 23. Tom. IVa 164b. *Comm. in Acta.* XVIII. 12.

9) *Inst.* IV. 20. 9. 10) Ib.

Constat nimirum, »*gladium esse in eorum manu depositum, quo »sanam doctrinam propugnent* [11]." Ergo »partes eorum sunt »legibus, edictis, iudiciis religionem sustinere [12]," ut »legum »praesidio servetur integra [13]," »neque palam publicisque sa»crilegiis impune violetur et conspurcetur [14]." Quamobrem »sa»tanico et diabolico spiritu regi vere diximus eos, qui Dei »verbum a magistratu negant esse defendendum et protegen»dum, quandoquidem, quae sacra scriptura ponit et sine quibus »Ecclesia in maximis confusionibus stare nequit, rata manere »debent: quare hoc esto firmum pronuntiatum et axioma: omnes »eos, qui ad summos dignitatis honores evecti sunt, non tan»tum habere ius gladii in sontes et impios homines, sed esse »oportere tutores et nutricios Ecclesiae [15]." Neque tantum »liberum esse magistratibus," opinatur, »poenas sumere de »*coelestis doctrinae corruptoribus*, sed divinitus esse mandatum, »ut pestiferis erroribus impunitatem dare nequeant, quin desci»scant ab officii sui fide [16];" quin imo, ubi necessitas aderit, ipsi ad Ecclesiae reformationem suo marte procedant [17]. Semper tamen clementiam et lenitatem commendatam sibi habeant, neque statim ad capitale progrediantur supplicium [18]; »ubi »vero a suis fundamentis convellitur religio, detestandae in »Deum blasphemiae proferuntur, impiis et pestiferis dogmatibus »in exitium rapiuntur animae, denique ubi palam *defectio ab »unico Deo puraque doctrina* tentatur, ad extremum illud reme»dium descendere necesse est, ne mortale venenum longius ser»pat [19]." Nec tamen idcirco utrumque ministerium, gladii atque verbi, inter se permiscere fas est, »pastoris enim officium a »principis officio non modo distinctum est, sed res sunt magis

---

11) *Refut. err. M. Serveti.* Tom. VIII. 517a. 12) *Inst.* IV. 11. 16.

13) *Ref. err. M. Serv.* Tom. VIII. 515a. cf. *Ep. ad Prot. Angl.* Tom. IXb. 39b.

14) *Inst.* IV. 20. 3. cf IV. 20. 9. 15) *Inst.* IV. 20. 3.

16) *Ref. err. M. Serv.* Tom. VIII. 515a. cf. SCHENKEL o. l. III. 380.

17) *De nec. ref. Eccl.* Tom. VIII. p. 38—63. *Scholia in pat. adm. Pauli* III. Tom. VIII. p. 185a. et *Ep. ad reg. Pol.* Tom. IXb. 104b.

18) *Inst.* IV. 20. 10.

19) *Ref. err. M. Serveti.* Tom. VIII. 516a. Ulterius etiam procedit in *Ep. ad Prot. Angl.* (HENRY II. Beil. 4. S. 30). „Vous aves deux especes de mutins, „les uns gens fantastiques, ... les autres obstinez aux superstitions de l'Ante„Christ de Rome. Tous ensemble meritent bien d'estre reprimez par le glayve, qui vous est commis." Cf. *Inst.* IV. 20. 10.

»separatae, quam quae in uno homine coire queant [20])," adeo ut, »qui inter corpus et animam, inter praesentem hanc flu»xamque vitam et futuram illam aeternamque discernere nove»rit, neque difficile intelliget spirituale Christi regnum et civi»lem ordinationem res esse plurimum sepositas [21])." Vel sic tamen inter utrumque haec intercedit relatio, ut, »quemadmo»dum magistratus purgare Ecclesiam debet offendiculis, ... ita »verbi ministerium sublevet magistratum, ne tam multi peccent: »sic coniunctae debent esse operae, ut altera sit adiumento »alteri, non impedimento [22])". Ecclesia »magistratus praesidio »fidei Dei veritatem, ubi ita opus erit, commendet [23])," cogendi autem potestatem non ipsa sibi arroget, neque appetat omnino, sed a magistratu suo iure impetret [24]). Fieri posse ut de hoc vel illo doctrinae capite, non consentiens utique audiatur Ecclesiae atque magistratus vox, et penes utrum dissensione oborta litis dirimendae ius esset atque potestas, res sane gravissimi momenti est, et quam silentio praeterire nullo pacto nobis liceret, nisi esset nobis cum Corbierio fatendum: »nous n'avons »pu découvrir aucune déclaration précise à ce sujet dans l'In»stitution Chrétienne. Calvin semble n'avoir pas prévu le cas, »et il y a sous ce rapport véritable lacune dans son système [25])." — Quod porro ad relationem Ecclesiae fidelium erga magistratum attinet, »subditorum est de magistratus functione quam hono»rificentissime sentire [26])," »et syncero animi affectu suam illis »obedientiam approbare [27])," tributa solvere ac vectigalia [28]), et rei militari ex aequo consulere [29]). Et ita quidem obedientia regibus praestari debet, ut nulla nobis de legum, quas scribunt, pretio atque valore subeat cogitatio, et »insulsus esset ratioci»nator, si quis contenderet, nonnisi iustis imperiis esse eam »rependendam [30])." Etiamsi enim vel *tyrannus* [31]) sit, vel *deterrimus homo* [32]), *impius ac sacrilegus* [33]), esset tamen a subditis,

---

[20]) *Inst.* IV. 11. 8. Cf. IV. 20. 1. [21]) *Inst.* IV. 20. 1.

[22]) *Inst.* IV. 11. 3.

[23]) *Ref. err. M. Serv.* Tom. VIII. 517b. Cf. *Instr. adv. Anab.* Tom. VIII. 364b.

[24]) *Inst.* IV. 11. 16.

[25]) CORBIÈRE. o. l. p. 41. Obiter hanc quaestionem tetigit in *Ref. err. M. Serv.* Tom. VIII. 512b.

[26]) *Inst.* IV. 20, 22. [27]) *Inst.* IV. 20. 23. Cf. IV. 10. 5.

[28]) *Inst.* IV. 20. 13. [29]) *Inst.* IV. 20. 11, 12.

[30]) *Inst.* IV. 20. 29. [31]) *Comm. ad* 1 *Pe.* II. 14.

[32]) *Inst.* IV. 20. 25. [33]) *Inst.* IV. 20. 29.

»quantum ad publicam obedientiam attinet eadem in reverentia »habendus, qua optimus rex, si daretur, habituri esset [34]." Unum tantum excipiendum est: »adversus Deum Ipsum, si quid »imperent, id nullo neque loco, neque numero esse debet [35]." Quamvis autem obedientia tunc non amplius exigitur, quin imo praestita Dei maiestatem gravissime laederet, poenae tamen in legum violationem constitutae aequo animo ac placide luendae sunt; »car il valait mieux, que nous perissions tous, cents »fois,... que de resister à la tyrannie [36]." »Si qui tamen sint »populares magistratus ad moderandam Regum libidinem con»stituti,... qui regibus impotenter grassantibus, et humili ple»buculae insultantibus conniveant, eorum dissimulatio nefaria »perfidia non carebit, quia populi libertatem fraudulenter pro»dunt [37]." — Varias regiminis formas coram Deo similes quidem esse censet [38]), longe tamen »prae ceteris aristocratiam excel»lere [39]."

SECTIO II.

EXPONITUR J. CALVINI DE ECCLESIA SENTENTIA, QUALIS, TUM E CONDITIONE ECCLESIAE GENEVENSIS, TUM E CALVINI IN EA AGENDI RATIONE, COGNOSCITUR.

PRAEMONENDA.

In praecedentibus Calvini de Ecclesia sententiam, qualis e scriptis ipsius cognoscitur, pro virili portione exponere conati

---

[34]) *Inst.* IV. 20. 25. Cf. *Lettre de Calv.* (HENRY III. Beil. 14. S. 154.)

[35]) *Inst.* IV. 20. 32.

[36]) *Lettre de Calv.* (HENRY IIIb. 154.) Cf. *Inst.* IV. 20. 32.

[37]) *Inst.* IV. 20. 31. Cf. HENRY IIIb. Beil. 14. S. 154; ubi licitum esse dicit „a tous bons citoyens de prester main forte,... si les Princes du sang requer„royent destre maintenus en leur droit pour le bien commun."

[38]) *Inst.* IV. 20. 7.

[39]) *Inst.* IV. 20. 8. Cf. IV. 20. 5, 14, 15; et ad universam §. SCHENKEL. o. l. III. 386 sqq. CORBIÈRE. o. l. p. 33—44. SCHWALB. o. l. p. 137. SCHADE. o. l. p. 17 sq. WEBER. o. l. p. 36 et SIRVEN. o. l. p. 23.

sumus. Ne tamen hic subsistamus ratio postulare videtur, quae suadet, ut nunc iam e rebus, quas egit ipse et veluti condidit, Calvini sententiam percontemur. Paucissimis dicam, cur ita faciendum videatur; videlicet, apertius, ut hoc primum sumamus, in agendo, quam in scribendo, prodere se mens humana solet, quod eo magis in nostra causa valet, quoniam liber et expeditus in scribendo Calvinus non erat. Duplex ei continuo allatrabat hostis, et tam Romanensium vetusti errores, quam innovationes Anabaptistarum ubique locorum refutandae ac perstringendae erant. Praeterea doctrinam suam s. scripturae tanquam veram atque stabilem approbare solet, quo factum, ut diserta novi foederis testimonia non semel eum a deviis revocaverint. Accedit, quod in accuratiore pristinae sub Apostolis Ecclesiae delineatione occupatus, historici interdum potius, quam dogmatici partes sustinet. Res quoque gravissimi momenti ita saepe dirempsit, ut scolasticorum placitis nimium saepe irretitus, in magniloquis, obscuris ac vagis dicendi interdum acquieverit formulis, quod usu tritae erant atque divulgatae. Tunc quoque in scriptis suis haec illa praetermisit, aut obiter tantum attigit, quae subinde in praxi, ubi probe omnia cohaerere debent, et nihil sinitur indefinitum, accuratius exposita deprehenduntur [1]). Observandum denique erat, quod in compositione versatur disputatio nostra. Ut aequae igitur trutinae utriusque reformatoris sententia appenderetur, similia nonnisi cum similibus conferri poterant. Apud à Lasco autem tali distinctioni theoriam inter et praxin, locum non dari, facit fontium, unde eius doctrina hauritur, natura ac ratio [2]), facit et rerum conditio, qua usus est. Ut igitur cum Calvini de Ecclesia sententia ex aequo Lasci systema comparari queat, Calvini quoque agendi ratio paucissimis illustrari debet. Ordine igitur inquiretur, 1°. quaenam Ecclesiae forma sese prodit in libello: *Ordonnances Ecclésiastiques de Genève;* 2°. quomodo in ipsa Genevensium

---

1) Contra saepe quoque temporis, quo vivebat, rationem impedivisse eum, quominus talem tamque ab omni parte perfectam institueret Ecclesiam, qualem ipse exoptavisset, libenter concedo, neque praevia ratiocinatione negare in animo erat. Hoc tantum volui. Saepius in Ecclesia, quam ipse condidit, melius Calvini cogitandi rationem cognosci posse, quam in scriptis ipsius, ubi libere certe mentem suam non excussit.

2) Nimirum omnes fere libelli sunt, quos conscripsit in usum liturgicum Ecclesiarum, quibus serie praefuit.

Ecclesia condenda, gubernanda versatus sit; 3°. denique verbo indicabimus, quaenam differentia theoriam inter et praxin intersit [3]).

CAPUT I.

RATIO ECCLESIASTICI MINISTERII, QUALIS REPERITUR IN LIBELLO:

Ordonnances Ecclésiastiques de Genève [1]).

Instituitur Ecclesiae gubernandae ratio ad normam sacrae scripturae, (»*Et ainsi avons ordonné et estably de suivre et gar-* »*der en nostre ville et territoire la police Ecclésiastique, qui s'en-* »*suit: comme nous voyons qu'elle est prinse de l'Evangile de J.* »*Christ* [2]).") et veteris Ecclesiae consuetudinem. (»*Nous avons* »*trouvé que le meilleur est en cest endroit de suivre l'ordre de* »*l'Eglise ancienne* [3]).") — Ministrorum ordo in quatuor dividitur classes, vid. Pastores, Doctores, Seniores et Diaconi [4]). — Pastoribus verbi mandatur ministerium et sacramentorum administratio. Disciplinae quoque exercendae ius iis una cum Senioribus permittitur [5]). Priusquam munus adeant triplici sese submittere debent examini, de puritate doctrinae, an sint vocationi idonei, deque honestate morum [6]). Cooptatione electi probari debent magistratui (petit conseil) et Ecclesiae [7]); probati sacramentum fidei Syndicis praebeant [8]). Magistratus a munere

[3]) Cf. A. L. RICHTER. *Lehrb. des Kath. und Ev. Kirchenr.* Berlin 1858. 5[a]. ed. S. 139 et 482.

[1]) Duplici usi sumus editione, altera Genevensi: *Les ordonnances Ecclésiastiques de l'Eglise de Genève, item l'ordre des Ecoles de ladite cité à Genève,* avec privilège pour Artus Chauvin. MDLXII.; altera, quam inseruit A. L. RICHTER, in „*die Evangelischen Kirchenordnungen des* XVI[en] *Jahrh.* 1846. I. S. 342 sqq. Quoniam authentica editio non unicuique prostat, utramque editionem citavimus. Prior numerus ed. Gen., posterior RICHTERI ed. indicabit.

[2]) *Auth. ed.* p. 4. (*Richt.* I. S. 342[a].).

[3]) Ib. p. 6. (I. S. 342[b].). [4]) Ib. p. 4. (I. S. 342[b].).

[5]) Ib. [6]) Ib. [7]) Ib. [8]) Ib. p. 8, 9. (I. S. 343[a].).

removet, qui minus fideliter eo defunguntur [9]). (» *Si quelqu'un »des ministres tombe, que la Seigneurie y mette la main,... en »le deposant de son office."* — Doctores operam suam navare debent in sacrae scripturae interpretatione et futuris simul theologis instituendis consulere [10]). Creantur a pastoribus, approbantur magistratui [11]). — Senioribus disciplinae Ecclesiasticae usus una cum pastoribus iniungitur. Ea ratione a magistratu (petit conseil) eliguntur, ut simul valeat pastorum auctoritas; approbantur Senatui Ducentorum. Sunt numero duodecim, quorum duo creantur e Collegio minore (petit conseil), quatuor e Collegio Sexagintavirorum (conseil des Soixants), et sex reliqui e Consilio Ducentorum [12]). Iure iurando in fidem erga magistratum obstringuntur, et per totum dehinc vitae decursum munus suum retinent. (» *Combien, qu'il ne serait expédient de les changer sans »cause, quand ils s'acquitteront de leur devoir fidèlement* [13])"). — Diaconorum duo sunt genera: procuratores pauperum (procurateurs) et administratores nosocomei publici (hospitaliers). Eodem prorsus quo Seniores modo eliguntur [14]).

Sacramenta celebrantur duo, a solis pastoribus et nonnisi concionum tempore administranda. In baptismo duo requiruntur fideiussores, et nominum quorundam usus parentibus interdicitur [15]). S. Coena quater quotannis celebratur, et nemo ad eam nisi fidei confessione edita, admitti potest [16]). — Bis in quavis Ecclesiastica concione hymnis decantabitur [17]). — Matrimonia solemniter in plena concione consecrari debent. (Consistorium quaerit de rebus coniugialibus, et rem praeiudicatam magistratui defert [18]).) — Breve totius doctrinae compendium, in catechismi forma, a pastoribus concipiendum, quovis die Dominico in concione pomeridiana populo explicabitur [19]). — Disciplinae usus spectat 1°. » *la doctrine receue dans l'Eglise"* et 2°. » *la censure des moeurs* [20])." Quater quotannis Pastores cum Senioribus singulos visitant urbis incolas, in quatuor ad id parochias dispertitae [21]). — Consistorio competit ius vocandi, per varios in Euangelio praescriptos gradus admonendi, a S. Coenae

[9]) Ib. p. 12. (I. S. 344a.). [10]) Ib. p. 18. (I. S. 345a.).
[11]) Ib. p. 19. (I. S. 345b.). [12]) Ib. p. 20. (I. S. 345b.).
[13]) Ib. [14]) Ib. p. 22. (I. S. 346a.). [15]) Ib. p. 26. (I. S. 346b.).
[16]) Ib. p. 27. (I. S. 347a.). [17]) Ib. p. 29. (I. S. 347a.). [18]) Ib.
[19]) Ib. p. 17. (I. S. 345a.). [20]) Ib. p. 54. (I. S. 351b.).
[21]) Ib. p. 55. (I. S. 351b.).

communicatione arcendi, denique ubi opus erit ab Ecclesiae communione resecandi, excommunicatosque magistratui tradendi [22]). Excommunicati post publice editum poenitentiae testimonium retro in Ecclesiae communionem admitti possunt. Ei autem, qui in perversitate sua perdurat, aqua ignique interdicitur [23]). — In consistorii consessu sententiae rogantur a Syndico. Citatos prehendit lictor sive unus e decemviris capitalibus (Dixeniers) [24]). — Peculiaris quaedam praeterea inter pastores adhibetur disciplina, ut doctrinae puritas et unanimis consensus inter cos servetur incolumes. Si quando de doctrina obortae lites amice componi nequeant, Seniores rem diiudicent; ultimo loco »*la cause soit déférée au magistrat pour y mettre ordre* [25])."

Ipse magistratus hanc legem promulgavit; subsignavit, qui iis à Secretis est, et sigillo publico insigniendam curavit [26]). Magistratui approbari debent pastores. A magistratu e magistratu delecti seniores collegium constituunt, cui est nomen inditum: »*Commis de la* S e i g n e u r i e [27])" A magistratu e magistratu creantur diaconi. A magistratu de officio removentur pastores, haereseos sive schismatis rei peracti [28]). Ad magistratum in disciplinae usu nihil non refertur; quin totius disciplinae ipse magistratus publica interposita auctoritate basis est ac fundamentum, quo sublato corruit. Magistratus una cum pastoribus visit Ecclesias rurales [29]). Magistratus denique sententiam dicit in quaestionibus coniugialibus [30]). In universo ejus ad Ecclesiam relatio probe cognoscitur ex his verbis: »Que tout cela se fasse »en telle sorte, que les ministres n'ayent aucune jurisdiction »civile, et que par ce conseil (consistoire) ne soit en rien dé»rogué à l'authorité de la Seigneurie, ni à la justice ordinai»re,... ainsi que les pasteurs, où il sera besoin de faire quelque »punition... ayent à apporter le tout au conseil: lequel sur leur »relation aduisera d'en ordonner et faire jugement selon l'exi»gence du cas [31])."

Non tam Dei verbum, quam doctrinam potius in Genevensium Ecclesia receptam, qualis prostat in Catechismo, salvam

---

22) Ib. p. 56, 57. (I. S. 351b et 352a.).
23) Ib. p. 59. (I. S. 352b.).
24) Ib. p. 59. (I. S. 352b.).
25) Ib. p. 11. (I. S. 343b.).
26) Ib. p. 1. (I. S. 342a.).
27) Ib. p. 19. (I. S. 344a.).
28) Ib. p. 13. (I. S. 344a.).
29) Ib. p. 14, 15. (I. S. 344b.).
30) Ib. p. 29. (I. S. 350b.).
31) Ib. p. 60. (I. S. 352b.).

haec legislatio tuetur. Prodit se haec tutela, 1°. in vocatione pastorum, nam »*pour éviter toutes dangers, que celui, qu'on veut »recevoir n'ait quelque mauvaise opinion, il est requis, qu'il pro»teste de tenir la doctrine approuvée en l'église, selon le con»tenu du Catéchisme*[32].” 2°. Munus ponere debet, quicunque inter pastores »*avance quelque doctrine, non receue dans »l'église*[33],” 3°, In quavis concione pomeridiana non Euangelium, sed *catechismus* materiem dicendi sacro oratori praebet[34]). 4°. Fidelibus iniungitur, ut liberos suos ad has conciones sedulo mittant, ut doceantur *catechismum*, donec a capite ad calcem memoria eum teneant[35]). 5°. Excommunicatur ab Ecclesiae societate et traditur magistratui, ut in eum animadvertatur, »*quiconque dogmatise contre la doctrine receue*[36]).”

Haec fere sunt, quae raptim e libello »Ordonnances Eccl. de Gen.” excerpenda potius, quam continuato stylo digerenda videbantur, ut melius compendio consuleretur. Quodsi rite quis hanc legislationem aestimet, deque Calvini in ea ferenda consilio aeque iudicare velit, nullus dubito, quin libenter mihi concedat, recte satis Calvini mentem perspexisse Baudrillart, ubi dicit: »Substituer à l'orthodoxie Catholique une orthodoxie pro»testante, et placer celle-ci sous la protection armée du pouvoir »civil, tèl était le plan de Calvin[37]).” »En un mot,” ut ait Guizot, »c'était la censure active de la foi, de la vie et des »moeurs privées, exercée par un tribunal, où siègeaient néces»sairement les ministres de la religion[38]).”.

---

[32]) Ib. p. 5. (I. S. 342a.). [33]) Ib. p. 13. (I. S. 344a.).
[34]) Ib. p. 17. (I. S. 345a.). [35]) Ib. p. 52. (I. S. 351a.).
[36]) Ib. p. 53. (I. 351b.). De Synodorum institutione nihil praeciditur. Cf. cap. § et de toto hoc capite LECHLER. o. l. p. 42—46. GOEBEL. o. l. I. 308—311. *Cat. Genev.* Calv. Op. Tom. VIII. 11—28. et *Liturg. Gen.* ib. Tom. VIII. 28—37.
[37]) BAUDRILLART. *Bodin et son temps.* Paris 1853. p. 35. Cf. Dr. J. C. BLUNTSCHLI. *Deutsch. Staatswörterb.* Stuttg. u. Lpz. 1857. Heft. XV. S. 322. in voce: *Calvin.*
[38]) GUIZOT. *Musée des protestants célèbres.* Tom. II. fasc. II. *Jean Calvin.* p. 83. Treutel et Würtz. Paris. Formam Ecclesiastici minist., quam descripsimus nondum ab omni parte Calvino placuisse, haec eius verba, in Ep. ad Myconium data, docent: „Nunc habemus qualecunque presbyterorum iudicium et „formam disciplinae, qualem ferebat temporum infirmitas.” *Ep. Calv.* Op. Tom. IXb. 27b. Cf. *Ep.* 75 et 263 ed. Lausann.

CAPUT II.

CALVINI DE ECCESIA SENTENTIA, QUALEM PRODIT SE IN IPSIUS IN ECCL. GENEV. AGENDI RATIONE [1].

§ 1. *De Ecclesiae notione.*

Qualis sit Ecclesiae notio, optime cognoscetur, si de huius Ecclesiae fine, de consilio, quod sibi propositum habet, accuratius inquisitum erit. Videamus igitur in quem finem tetenderit Ecclesia, quae moderante Calvino Genevae condita est ac floruit. Scio a plerisque vulgo hunc finem unice propemodum moralem fuisse perhiberi, nec fugit me huius erroris causa. Quum initio seculi xvi[i] ubiubi per Europam viri existerunt, qui abominandae in religionem Christianam sub papatu contumeliae plusquam pertaesi, Romanae hierarchiae iugum ferre amplius recusabant, et tam sibi quam aliis regiam per fidem ad Deum aperire denuo conabantur viam, ubique videmus Reformatores, eodem vel simili et affini certe profectos principio, similem utpote viam ingressos, ita in sua quemque Ecclesia satagentem, ut non tam procul ab altero alter distare videatur. In uno Calvino tamen privum quoddam et proprium veluti observatur, quod in aliis minorum gentium Diis plerosque fugit, Disciplinae Ecclesiasticae volo usum. Neque Genevis tantum institutam eam rigideque exactam deprehendimus, sed in omnibus Ecclesiis, quae Calvini sectatores instaurationis suae auctores nacti sunt similem ubique institutionem viguisse diu historia docet. Credunt vulgo huius disciplinae usum tantum non unice in morum honestatem versisse, et Calvini igitur Ecclesiam prae ceteris hoc insignitam fuisse nota, ut magis quam eae moralitati consuleret. Ut libere dicam, quid sentiam, qui ita loquuntur, Calvini mentem parum assecuti esse mihi videntur, et ultimum consilium, quod in Ecclesia sua condenda Reformator sibi proposuit, nihil aliud fuisse puto, quam purum divinae maiestatis cultum [2].

---

1) Cf. GOTTL. VON PÖLENTZ. *Gesch. des französischen Calvinismus in seiner Blüthe, bis zum Aufst. von Amboise i. J.* 1560. Gotha. 1857. I. S. 494 sqq.

2) Cf. haec ipsius Calvini verba, e libello „Ordonn. Eccl." *„la discipline, „qui est une bride pour retenir et dompter ceux, qui sont rebelles à la doctrine,*

Quum autem oracula sua in s. scriptura Deus deposuit, quae vel mortalium captum superant, vel etiam rationi humanae non leviter saepe oppugnant, Dei maiestas, ut salva sit et constet incolumes, indubitate postulat, ut reverenter a hominibus et cum obsequio divina Eius doctrina excipiatur, quam electis suis Spiritus sui virtute in ipsorum corde revelare dignatus est. Se quoque esse a Deo in electorum numero collocatum Calvino certo certius persuasum fuisse, nemo facile negabit; unde sequitur, proximum eius consilium fuisse, ut suam ipsius doctrinam populus in succum et sanguinem converteret [3]). Haec autem doctrina, quo ad vitam regit, erat, ut cum Saissetio loquamur, »une réligion sombre, et qui tenait la créature dans »une dépendance et tremblement perpetuel. Un culte sévère, »impérieux dans ses préscriptions autant, que simple dans ses »cérémonies. Une morale presque farouche, qui faisait du luxe »un crime, et de la joie un outrage à Dieu [4]).'' Laeta hilaritas laedebat maiestatem Divinam in homine, qui in se miser et peccatis submersus paene, nil praeter cordis contritionem spirare debebat [5]). En triplicem causam, quare disciplina Eccl. requiritur, ut doctrinae fidem praestent homines, ne uti spreta divinae Legis auctoritate peccatis indulgeant, ne denique miseriae suae

---

„*un moyen d'activer les indolents et les paresseux, enfin quelquefois une verge* „*paternel pour châtier doucement ceux qui ont commis de grandes fautes.*" Cf. J. GABEREL, *Hist. de l'Eglise de Génève.* Gen. 1853. I. 254. et C. STÄHELIN „*Johannes Calvin*" in HAGENBACH'S *Leb. u. ausgew. Schr. der Vät. u. Begr. der Ref. Kirche.* IV. A. p. 127, qui etsi ad moralitatem disciplinam referre potius videtur, in iis tamen quae deinde subiungit reapse in nostram sententiam abiit.

[3]) Recte monuit LE BAS. *Précis d'hist. des temps modernes.* Paris 1842. p. 462: „l'apôtre de Génève affirmissait sa doctrine contre le principe même du libre „examen, auquel elle devait son existence." et SIRVEN. o. l. p. 25. „Dominé „par une opinion, qu'il croit être la vérité absolue, évidente à tel point, qu'en „ne l'embrassant pas, on ne peut être qu'aveugle ou coupable, il devait être „nécessairement intolérant." Vera haec esse ipsa Calvini verba, quae moribundus teste Beza elocutus est, clare affirmant. Suppeditat ea nobis TH. H. DYER, *The life of John Calvin,* London 1850. p. 522: „with regard to the doctrine, which „you have heard from me, I do affirm, that I have taught the word of God „purely and sincerely, I doubt not that Satan will stir up witched.. men to „corrupt the pure doctrine, which you have heard from me." Cf. CORBIÈRE, o. l. p. 57. GUIZOT. o. l. p. 98. SCHENKEL. o. l. III. 386 et JUSTE, *Précis de l'hist. mod.* Brux. 1847. II. 107.

[4]) ÉM. SAISSET. *Revue des deux mondes.* 1848. p. 643.

[5]) Cf. E. et E. HAAG, *La France Protest.* Vième partie, art. *Calvin.* Paris. 1856. 119a, 132b et 140b. HENRY I. 42 et 402, DYER. o. l. p. 98, 347.

parum memores laeto sint animo atque hilares. Maligne Consistorium Genevense omnem persequebatur saltationem, commessationem, qualencunque denique effervescentem hilaritatem, et anxie cavebat, ne ludis se dederent Genevenses, neque iocosis delectarentur carminibus, sive nimis leporibus indulgerent [6]. In morum quoque depravationem animadvertebant, et contumaci licentiae iniiciebant frenum, qua in re tamen non ita profecisse eos, quam vulgo creditur, ipsa historia nos docet. Quamvis enim exaggerare nonnihil solet et Calvini non coecus fuit admirator, dignus tamen est qui audiatur, Galiffius, qui ipse Genevensis accuratissime Genevense tabularium exploravit. Verba eius sic se habent »Je montrerais à ceux, qui s'imaginent, que »Calvin n'a fait que du bien, nos régistres couverts d'inscrip»tions d'enfans illégitimes, — on ex exposait dans tous les »coins de la ville et de la campagne, — des procès hideux »d'obscénités, des testamens, où les pères et les mères accu»sent leurs enfans non pas d'erreurs seulement, mais de cri»mes, — des transactions par devant notaire entre des demoi»selles et leurs amans, qui leur donnaient en présence de leur »parens, de quoi élever leurs bâtards, des multitudes de maria»ges forcés où les délinquans étaient conduits de la prison au »temple, des mères qui abandonnaient leurs enfans à l'hôpital, »pendant qu'elles vivaient dans l'abondance avec leur second »mari, des liasses de procès entre frères, des tas de dénoncia»tions secrètes, des hommes et des femmes brûlés par sorti»lège, — sentences de mort en effroyable quantité, — et tout »cela parmi la génération nourrie par la manne mystique de »Calvin [7]." Contra de sentiendi dicendique libertate Genevis actum plane fuisse, et vel levissimam a Calvinistica doctrina aberrationem, tanquam ingens ae nefandum crimen fuisse puni-

---

6) Cf. GABEREL. o. l. *Pièces justific.* I. 77. et STÄHELIN. o. l. p. 334 sq.

7) Leguntur haec verba apud GALIFFE, *Notices Généalogiques.* in praef. Tom. III. p. 15. Suo modo explicat ea Calvini panegyrista HENRY. o. l. II. 78. in nota, et rite aestimavit DYER. o. l. p. 153. Exaggerare eum subinde, et reformatoris historiam non sine partium studio scripsisse, demonstravit GABEREL. *Les matériaux historiques de M. Galiffe*, o. l. Pièces justif. I. p. 162. Ubi tamen ad res in facto positas nos relegat, suum pondus sibi vindicant verba Galiffii, qui, ut ipse fatetur GABEREL: „durant seize ans en (de nos archives „nationales) a déchiffré les pièces antiques avec une rare persévéranee." Cf. HAAG. o. l. p. 123ª..

tam, non tantum Serveti tristisima fata [8]), sed et Caroli [9]), Castellionis [10]), Gruetii [11]), Bolseci [12], Blandratae [13]), Ochini [14]), Gentilis [15]), Gribaldi [16]) aliorum, nimis luculenter nos docent. Pastores, vel unus potius Calvinus e tripode, quid credendum, quid sentiendum esset, imperiose dictabat. Quodsi vel levissima obreperet suspicio tueri aliquem opinionem suae doctrinae contrariam, non amico colloquio de quavis re e verbo Dei disputare paratus erat, ut vel ipsi persuaderet adversario, vel ab eo sibi persuaderi pateretur, sed illico reus pro consistorio citatus acriter castigabatur, canis audiebat, haereticus vel fatuus compellabatur: ni cederet, magistratui miser traderetur, ut morte lueret nefandum suum crimen [17]). Accedit, quod ubique in scriptis suis, ut supra vidimus, doctrinae in Ecclesia primarium locum diserte assignat, et in disciplinae quoque usu explicando totidem verbis ad doctrinam primo eum referat loco. Probare quoque sententiam nostram videtur Calvinisticarum Ecclesiarum historia, unde discimus, diu iam morum rigidam censuram abolitam fuisse et neglectam, dum serperet adhuc letale venenum, quo in plerisque regionibus iam interiit Calvinismus, et in Scotia quoque, alibi, interibit necessarie, cultum volo orthodoxae doctrinae. Denique disciplinam Ecclesiasticam doctrinae potius quam moribus consuluisse, rigidissima, qua exigi solebat, ratio ultro nobis affirmat. Etenim magistratus

---

8) De causa Serveti, praeter ea, quae HENRY, DYER et STÄHELIN de *Serveti causa* disputaverunt post MOSHEIM et TRECHSEL, cf. RILLIET DE CANDOLU, *Relation du procès intenté à Genève en* 1553 *contra Mich. Servet.* Genève 1844; MICHELET, *La ligue et Henry* IV. p. 464 sq., MIGNET. *Die Einführung der Reform. und die Verfass. des Calvin. zu Genf.* Lpz. 1843. S. 136 sq. et *Anhang* C. S. 167—231; DE VALAYRE, *Fragments historiques sur Mich. Servet dans les Légendes et Chroniques Suisses.* Paris. 1842; *Bulletin de la Société du Prot. Franç.* II. p. 141 sq. et 341; E. SAISSET. *Michel Servet ets a doctrine*, Revue des deux mondes. 1848. et E. SCHADÉ, *Etude sur le procès de Servet.* Strasb. 1853. Cf. etiam BLUNTSCHLI. o. l. XV. p. 325. Qui ad unum omnes in eo consentiunt, Servetum haereticis de causis approbante Calvino interfectum esse. An etiam instigante Calvino? Quodnam porro in ea re iudicium ferendum sit, exponere huius loci non est. Certe DYERI sententia (o. l. p. 316) mihi plurimum arridet, qui ad Viennae peractam causam denuo nos revocat. Quae STÄHELIN de caussa Viennense scripsit o. l. S. 436 sq. panegyristam nimis redolent.

9) Cf. DYER. o. l. 66—69. 10) Ib. p. 168 sq. 11) Ib. 214—217.

12) Ib. p. 270. 13) Ib. 449. 14) Ib. 349 et 446.

15) Ib. 451—453. 16) Ib. 446.

17) BLUNTSCHLI. o. l. XV. p. 321; BAUDRILLART. o. l. p. 33. et DYER. o. l. p. 215.

gladium paratum est. ut animadvertat in eum, qui moribus dissolutus est et perditissimus homo, qui nihil denique reformidat quod scelestum est ac nefandum. Quamquam eo igitur sensu Ecclesia morum censuram agere potest, ut clandestina reprehendat vitia et occulta delicta, quae legem fugiunt, castiget, non tamen eius intermedium auxilium requiritur, ut magistratui tradantur malefici, quoniam civilis iurisdictio suas ipsa in ea re partes agere potest. Contrarium autem in doctrina valet, de qua penes magistratum nullum esse arbitrium ipsa res loquitur. Ubi ergo doctrinae veritas in dubium revocatur, nova et inaudita hucusque dogmata excuduntur, scelestae audacter proferuntur sententiae, receptae doctrinae contrariae, et divinae maiestati infensae, — prodeat disciplina Ecclesiastica, et rigido examine, quatenus sit a recepta doctrina aberratio tolerabilis, quaenam autem infringenda sit haeresis et exstirpanda, diiudicet, et ipsum haereticum igni tradat potius et gladio, quam ut ulterius inter fideles contagiosum malum serpat. Vel sic tamen longe a me absit iis adstipulari, qui inter Romano-Catholicos ipsius Calvini morum honestatem nuper tam nefarie aggressi sunt [18]. Homo sane fuit Calvinus, humanae fallibilitati obnoxius. Fuit tamen ex iis hominibus, qui stabilem suam in virtute permansionem adeo probaverunt omnibus, ut qui eius morum probitatem maligne calumniis detrectare student, suum ipsi characterum potius gravi macula inquinant, quam ut Calvini memoriam vel leviter carpere possint. Sunt plebeiae istae calumniae, vel obtrectatoris potius convicia ex ira et partium studio profecta nulla seria refutatione digna. Adsunt ipsius Calvini spissa volumina, adsunt in primis eius epistolae gallico sermone conscriptae, adsunt aequalium ipsius locupletissima testimonia, unde certo certius edocemur, neminem facile Calvino magis in odio habuisse peccatum, virtutem dilexisse. Quin firmiter etiam statuimus, Calvinum non tantum ipsum ea nobilitate, quam virtus affert et probitas, in paucis fuisse conspicuum, sed semper etiam curae cordique sibi habuisse, ut alii quoque candidae morum honestati quantumpote incumberent. Finge tibi talem virum inter eius saeculi Genevenses commorantem, perditissimum, ut omnes fatentur, et flagitiosissimum mor-

---

18) A Bolseco usque ad Audin.

talium genus [19]), et nugas proferre sentis eum, qui dubius haeret, quin acriter omni vi et impetu sceleratae generationi Calvinus restiterit; qui id profunda demonstratione egere opinatur, an hoc quoque disciplinae Eccl. usu efficere conatus sit, ut nefandissima scelera e medio populo tollerentur. Quamvis autem ex animi sententia id omne largimur, et nos quoque Calvinus in sui rapuerit admirationem, vel sic tamen ab iis dissentiendum videtur, qui ultimum, extremum, quo in Ecclesia condenda, praesertim in disciplinae restaurando usu tetenderit finem, tantum non unice in morum honestate ponunt; quandoquidem ipsa Calvini, quae scripto mandavit, verba, ipsae, quas Genevensi Ecclesiae tulit, leges, ipsa denique ipsius in ea agendi ratio contrarium nos docent. Neque haec omnia. Quicunque enim universam Calvini in Theologicis cogitandi rationem ex ipsis fontibus cognoscat, et quaenam, eo iudice, ethicae Christianae cum religione intercedat relatio, rite aestimet [20]), non potest non manifesto falsam eorum opinionem deprehendere. Qui vel sic tamen calculum nobis adiicere recusat, is attendat velim, quemnam Calvinus occupaverit locum inter eos, qui sacrorum emendationi Sec. XVI[i] auctores exstiterunt. Reliqui fere omnes toti erant in Romanensium erroribus expellendis, sive ad doctrinam pertinerent ii, sive ad sanctum Dei cultum, sive ad Christianorum vitam denique ipsam. Et profecto egregie illi omnes de re Christiana meriti sunt, quatenus tantos tamque inveratos abusus abolere conati sunt, et ab opere operato ad cordis cum Deo communionem aequales suos revocaverunt. Quam tamen pestifera sub herba lateret vipera, anabaptistarum motus triste satis ostenderant. Laete iam iubilabant Romanenses et non sine veritatis specie ingerebant, palam esse in fanaticis illis, quorsum tenderet reformatio, quam vere

---

19) Cf. DYER. o. l. p. 76. HENRY. o. l. 1. S. 152. STÄHELIN. o. l. S. 117. GABEREL. o. l. I. 198. SCHENKEL. o. l. III. 102; GUIZOT. o. l. p. 65. MIGNET. o. l. S. 113. et *Anhang* S. 152—161. SAYOUS. o. l. p. 87. et *Les Actes et Gestes Merv. de la cité de Genève* par A. FROMMENT: *Extrait* CL, „de l'impudicité „des gens de l'Eglise à Genève avant la réformation."

20) Nimirum, quaenam incumbant nobis officia, quid bonum sit, quid malum, quae petenda, quae fugienda, non in et per se constat, sed a Dei tantummodo voluntate pendet, cuius certiores nos reddit doctrina, e. s. scriptura desumpta. Cf. *Inst.* III. 23. 2. „*Adeo enim summa est iustitiae regula Dei voluntas, ut „quicquid, eo ipso, quod vult, iustum habendum sit.*" Cf. et Ib. III. 23. 5, 6, et III. 2. 7.

perhiberent, extra Catholicae Ecclesiae communionem et hierarchiam papalem nil nisi ruinam et exitium religioni superesse; omni mox sublata auctoritate et veritatis fundamento excusso iamiam unusquisque prout libitum esset, sibimet ipse scriberet leges et commune omnium fidelium sacerdotium ludibrio verteretur. Calvinus vulnus illud detegit, et ni cito mederetur, Protestantium causae fatale fore vidit [21]). Medicinam igitur afferre conatus est, et docere voluit Romanenses inter Protestantes quoque egregie condi posse Ecclesiam, illorum Ecclesia longe quidem praestantiorem; Protestantes quoque firmum habere, quo aedificium suum superstruerent, veritatis fundamentum; facile denique papali dominatione carere Protestantes, neque tamen esse de rite composito statu inter eos desperandum [22]). Quid ergo Romanensibus opposuit, ut perniciosum, quod vibrabant, iis extorqueret telum? Quodnam anabaptistis iniccit frenum, ut illorum rabiem domaret? Perlege eius scripta, lustra historiam Ecclesiae Genevensis, et illarum omnium, quas invasit Calvinismus, vide, quid egerit ipse, et qui presse ejus vestigia secuti sunt, et facile te habebo consentientem, doctrinam ubique primarium occupavisse locum, quae pro indole sua ac natnra rigidam morum austeritatem sponte secum induxit.

§ 2. *De via ac ratione, quibus Ecclesia operatur.*

Quam indefesse Calvinus per continuum annorum seriem doctrinam suam e suggestu populo tradiderit, abunde testatur ingens sacrarum orationum copia, quam nunc etiam superstitem habemus, et pastoris igitur quoad verbi ministerium munere perquam diligenter functus est. Eodem quoque pertinet Doctorum institutio, quae origo fuit illustris Academiae, quam a°.

---

[21]) Notatu dignum primum, quem edidit polemicum libellum non Roman., sed Anabaptistas petivisse. (*Psychopannychiam* volo). Cf. DYER. o. l. 29, HENRY. o. l. I. 62. GOEBEL. o. l. I. 299. GUIZOT. o. l. p. 59. Qua in re bene reputandum est, quam acriter Genevae Libertini ducibus BENEDICTO, LEODIENSI, PERRINO, aliis de victoria cum eo decertaverint. Cf. DYER. o. l. 29, 66, 79. HENRY. o. l. II. 430—439. DÉVISME. o. l. p. 12. CHEYRON. *Étude sur les Libertins spirituels du* XVI[e] *siècle*. Strasb. 1858. p. 4.

[22]) Cf. SAYOUS. *Étude litt. sur les écriv. franç. de la Reform.* Paris. 1854. 2[ième] ed. I. p. 83. et GUIZOT. o. l. p. 116. Eximia sane a natura rerum disponendarum facultate erat praeditus, ut recte obs. GOEBEL. o. l. S. 294 et FLAMAND. o. l. p. 44.

1558 Genevis condidit [1]), et quae tantopere valuit ad Calvini doctrinam foras etiam propagandam [2]). Quam cupidus ipse erat, ut sectatores sui aliis quoque Ecclesiis praeficerentur, de Francia clare nos docent haec eius verba, ex epistola, quam ad Bullingerum misit, desumpta: »Pridem ex opificum tabernis li-»brariis exprimere coacti sumus, si qui reperiebantur leviter »tincti litteris et pietatis doctrina [3])," »plerique mechanici ho-»munciones, dociles ac nullius eruditionis [4])." In sacramentorum administratione nihil omnino notatu digna invenimus, quare statim ad Eccl. disciplinam pergam, cuius usum quatenus doctrinam spectat, quum in praecedenti § exposuimus, nunc ad mores potius et vitam attendemus, ad quam ipse quoque hanc institutionem retulit, ut ad sobrietatem Genevenses revocaret. Ardua sane res erat, quam neque Calvinus perficere potuit. Tamen fecit periculum, et adeo quidem iugum pressit, tam angelicam fere sanctitatem, et tetricam mundi abnegationem exegit a hominibus mundo eiusque deliciis unice hucusque deditis, ut praeceps ruere mox civitas videbatur. Qui enim probi erant cives et libertatis amantes, destabantur et abhorrebant vehementer odiosam illam et intolerabilem dominationem, quae, ut malum compesceret, arcte undique domesticam quoque libertatem circumscribebat. Neque minus acriter nebulonum et asotorum turba, qui dissolutae licentiae grandisonum libertatis nomen praetexebant, internecivo odio eum prosequebantur. Mox ambae factiones copias et arma iunxerunt, et duce Perrino, cuius familia ingenti pollebat in ea civitate gratia, de victoria cum eo dimicaverunt [5]). Quicquid autem molirentur, de proposito Calvinus non destitit, sed firmiter contra sustinuit bellum, et nova quidem disciplinae suae supposuit fulcra, quum a°. 1541 a Genevensium civitate perpetravit, ut sibi una cum Faber et Roset novas civitati politicas scribere leges mandaretur. Haec eius

---

1) Cf. *Bulletin de la Soc. de l'hist. du prot. franç.* IV. 147, 200 et 353.

2) DYER. o. l. 458; BLUNTSCHLI. o. l. XV. 327; HAAG. o. l. 129b. et HENRY. o. l. I. 164, qui e *Mss. Gen.* m. Maii a^i. 1549 haec Calvini verba citat: „dum „expendo, quantum habeat hic angelus (Genev. sc.) momenti ad propagandum „Christi regnum, merito sum sollicitus de eo tuendo."

3) *Ms. Gen.* Cf. HENRY. o. l. III. S. 483.

4) *Mémoires de Condé.* Cf. DYER. o. l. 484. et GUIZOT. o. l. p. 104.

5) Cf. DYER. o. l. p. 199, 211—227, 393—396. CHEYRON. o. l. p. 6 sq. HENRY. o. l. II. 430—39. III. 358—77. al. STÄHELIN. o. l. S. 382 sq. GABEREL. o. l. I. 275 sq.

civilis legislatio, Mosaïca etiam austerior, anxie undique dicendi agendique libertatem custodiebat. Ut alia taceam, a certa quadam nominum classe in baptismo erat abstinendum; publica indiceretur auctoritate, quorum librorum lectio esset vetita; omnis saltatio, una cum reliquis omnibus sensuum illecebris, severe interdicebatur. Plectebatur mulcta, qui sine sontica causa sacram concionem neglexerat; item, qui post concionem iam inchoatam sacras aedes intrabat. Qui porro per Christi nomen iuraverat, foras ediderat rumorem, nimis potui indulserat, sive alium perduxerat ad cauponem, ad unum omnes severissimis poenis culpam luere debebant. Quod tamen longe odiosius erat, ne quid sine animadversione praetermitteretur, indices publicum merebantur stipendium, qui clam ad consistorium vel minutissima deferrent delicta. »C'est cette inquisition," ut ait Saisset, »dont l'oeuil inquiet et vigilant pénétrait jusqu'au foyer do»mestique [6])."

§ 3. *De Ecclesiae regimine.*

Supremum in Ecclesiae regimine locum ipse Calvinus occupabat, nam in consistorio gerebat »la présidence à vie," et quidem sua auctoritate, nam addunt Annales publicae, »sans qu'il »y eut pourtant été appelé par aucune élection [1])." »Puis les »pasteurs de la ville," ut narrat Gaberelius, »les professeurs »de théologie et les pasteurs des paroisses rurales formèrent un »corps nommé *la vénérable compagnie.* Celle-ci eut pour attri»bution les études théologiques, l'administration de l'Eglise et »le soin de la doctrine, l'élection des pasteurs moyennant rati»fication des magistrats et du peuple, ... dont le silence déter»minait le choix définitif [2]). Dans le but de s'assurer, que la »doctrine était pure chaque année les pasteurs étaient tenus de »faire une visite dans les familles pour interroger chaque per»sonne sur sa foi [3]) ... et nul ne pouvoit s'approcher de la »sainte table, qu'il n'eût auparavant rendu compte de ses prin»cipes réligieux [4])." »On le voit, c'est toujours la même ser»vitude des consciences, le même despotisme dans l'organisation.

---

[6]) E. SAISSET. o. l. p. 643.
[1]) *Régistres d'état de Genève*, ad d. 29 m. Febr. a. 1580. (HENRY. o. l. I. S. 469).
[2]) GABEREL. o. l. I. p. 255. [3]) Ib. 254. [4]) Ib. 336.

»Le troupeau n'intervient presque pour rien. L'élement laïque, »qui entre dans le Sénat disciplinaire n'est pas pris de son »sein et nommé par lui. L'élection du pasteur échappe même »complétement à l'élement laïque. De tout côté on voit se for»mer une tendance très-prononcée vers le cléricalisme, nulle»ment sacerdotal nous en convenons, mais à coup sûr très peu »compatible avec la liberté, que réclame la conscience [5])." Haud raro eodem plane cum Apostolis et Euangelistis loco Reformatores aestimat, inter quos sibimet ipse non extremum profecto locum designavit. Pighio obiiciebat non se proprie loqui, sed Deum potius per os suum oracula edere [6]), adeoque in sua persona Divinam maiestatem laesam fore [7]). Anathemate feriebatur Berthelier, qui contenderat, se, quoad morum probitatem, nihil Calvino cedere [8]). Tres homines, qui in concione sacra, ubi praeibat Calvinus, risum non continuerant, in carcerem coniiciebantur ad publicam poenitentiam postulati; et istiusmodi causae per biennii spatium (1558—60) quadringentae quatuordecim iudicatae sunt [9]), inter quas prae ceteris haec notatu digna videtur, Chapuinum ad carcerem fuisse mandatum, quia auctoritati pastoris cedere noluerat, qui Claudii nomini, quod pater filio suo indiderat, Abrahami nomen substitui imperiose postulabat. Eodem die, sic legimus in Actis publicis, e suggestu vehementer Calvinus invectus est in parochianos scti Gervasii, bestias eos nominavit, et totidem verbis minatus est, se nonnullos ex hac parochia patibulo affixurum esse [10]). Profecto, ubi Ecclesia societas est, cuius socii sunt tam pastores, quam fideles, talis

---

5) CORBIÈRE. o. l. p. 25. 6) *Op.* Tom. VIII. p. 118b.

7) *Mss. Gen.* (HENRY. II. Beil. 11).

8) *Régistres de Gen*, ad d. 27 m. Mart. a. 1551: „Philibert Berthelier se „plaint au conseil, de ce que le consistoire lui a défendu la cène pour n'avoir „pas voulu convenir, qu'il n'avait fait mal de soutenir, qu'il était aussi homme „de bien que Calvin." Cf. GUIZOT. o. l. p. 90.

9) DYER. o. l. p. 144.

10) *Régistres d'état*, ad d. 27 m. April. a. 1546. HENRY. o. l. II. 429: „c'était „le jour de la reconfirmation de la bourgeoisie, que Calvin dit, que les gens „de St. Gervais étoient des bêtes, et qu'il en pendrait." Cf. Corbière o. l. p. 25. et *Ms. Gen.* HENRY. I. 461. „Les prophètes mesmes ne s'abstiennent pas du „tout d'user de brocards et Christ en taxant les trompeurs et faux docteurs a „des termes piquans et partout le Sct Esprit charge contre telle manière de gens „criant sans rien épargner." DYER. o. l. p. 215, 536. *Ms. Tigur.* ad 7. Id. Aug. 1557. HENRY. III. S. 336. THOMAS. o. l. p. 26. SIRVEN. o. l. 25.

agendi ratio cogitari prorsus nequit, et iis quoque, quae hac § exposuimus, egregrie confirmatur sententia, quam supra enuntiavimus, Ecclesiam Calvini scolam fuisse, in qua ludimagistri ad discipulos suos relatio cum fidelibus coniungit pastores.

§ 4. *Ecclesiae relatio ad rem politicam.*

Parum in Theocratia bene condita refert, utrum Ecclesiae, an vero magistratui summam auctoritatem deferas, quoniam ambo ab una Divina auctoritate pendent, et unanimi concordia in Dei maiorem gloriam tendunt. Sic quoque Calvinus aequo animo tulit, magistratui maiorem, quam par esset, in Ecclesia vim concedi et efficientiam, dummodo salva staret sua, tum in rebus ad religionem pertinentibus, tum in politicis, suprema auctoritas. Hinc intelligitur, qui factum sit, ut tot tantaque Calvinus in libello »Ordonn. Eccl." magistratui concedere potuerit, ad eius tribunal de doctrina discidia detulerit, eius auctoritati omnes Ecclesiae ministros approbandos esse censuerit, ei denique concesserit ius e suo medio Seniores et Diaconos eligendi, et desides ministros a munere deponendi. Ubi contra officio deerat magistratus, et dominationis incrementum potius, quam Ecclesiae salutem quaerere videbatur, numquam ei cessit Calvinus, et strenue perhibuit, non esse magistratui Ecclesiam, sed Ecclesiae magistratum subiiciendum; quod in nulla causa melius conspicitur, quam in causa Berthelierii, qui a consistorio notatus erat, quod publice declaraverat se esse »aussi homme de bien, »que Calvin." Vocatus ille poenitentiam profiteri recusavit, et quum propter hanc causam a S. Coenae usu arceretur, aegre id ferens a magistratu petivit, ut sua auctoritate aditum ad S. Coenam ei concederent. Quod quum a Consilio minore (petit Conseil) impetraverat, sponte haec oboriebatur quaestio, liceretne magistratui consistorii decreta rescindere, an vero sententiam diceret consistorium, de qua provocatio esset nulla. Lex scripta (Ordonn. Eccl.) disertis verbis ad magistratum provocandi ius reo concesserat [1]). Calvinus autem, quum in hoc exemplo penitus perspiciebat, omnia susque deque verti in Ecclesia, nisi magistratus in ea re auctoritas diminueretur, religionis timore interponendo omnes lapides movit, ne tam grave detrimentum

[1]) RICHTER, *Ev. Kirchenordn.* I. 351.

caput Ecclesiae caperet. Res e votis cessit, et solemni decreto sancitum est, soli dehinc consistorio excommunicandi competere ius, sine ulla omnino provocatione [2]).

Quodsi in fine huius sectionis e nobis quaeritur, quo nomine Ecclesia, quam Genevis condidit Calvinus, differat ab ea Ecclesiae imagine, quam in scriptis suis depinxit, obiter sequentia observare iuvat. In scriptis Calvini societatis characteri etsi levississima vestigia in Ecclesia supersunt, quum contra Genevensium Ecclesia a societatis natura prorsus abhorret et merum institutum est habenda. Habet Ecclesia, quam in scriptis delineat Calvinus, hunc sibi propositum finem, ut divinae doctrinae promoveat auctoritatem et observationem huius doctrinae praeceptorum in vita exigat. Similiter quoque Genevensium Ecclesia eo tendit, ut, 1°. omnes dociliter imbibant eam doctrinam, quam verissimam e sacra scriptura derivasse sibi videbatur Calvinus; 2°. ut corrupti mores corrigantur; 3°. denique ut effervescentem hilaritatem compescat. Ecclesia, qualis e scriptis Calvini cognoscitur aliquam certe sentiendi dicendique libertatem fidelibus concedit, quam contra undique circumscriptam deprehendimus in Ecclesia Genevensi, quae magnopere Theologorum in divinis auctoritati favebat. Hisce consentaneum in Ecclesia, quam theoretice Calvinus descripsit, ipsorum fidelium summae in Ecclesia maiestatis ratio habetur in eligendis ministris, in doctrina constituenda, ut et in disciplinae usu. Contra in Genevensium Ecclesia fidelium iura prorsus negliguntur, nisi quod tacitus iis in pastorum vocatione permittatur consensus. Nulla omnino eorum ratio habetur in eligendis sive Senioribus, sive Diaconis, et, quod peius etiam, praeter suffragii ius muneris quoque iure privantur; et Presbyterorum conventus, quippe a magistratu e magistratu eligendus Ecclesiae repraesentatio haberi prorsus nequit, quare recte in libello »Ordonn. Eccl." dicuntur: *Commis de la Seigneurie.* In Ecclesia, qualis e scriptis Calvini cognoscitur, pastorum ordo non tam longo spatio prae Senioribus dignitate excellet, et aliquatenus certe ad Seniores quoque et Diaconos doctrinae cura pertinet. Inter ipsos autem

---

[2]) DYER. o. l. 144, 370, 373, 398. LECHLER. o. l. S. 50. GOEBEL. *o.* l. I. S. 312. DÉVISME. o. l. p. 16. CORBIÈRE. o. l. p. 42.

pastores nemo prae ceteris auctoritate eminet. E contrario Genevae summa in Ecclesia potestas in pastorum ordine sita erat, qui, in solidum a Senioribus distincti, soli doctrinam curabant. Ipse Calvinus praesidium in eorum consessu occupaverat. Disciplinam porro Ecclesiasticam, qualem e veteris Ecclesiae usu in scriptis suis Calvinus commendat, unice fere tendit in doctrinae tuendam puritatem, quum contra disciplina, quam ipse Genevae legibus definivit, praeter doctrinam, mores quoque et vitae agendi rationem magis spectabat, sed eo nomine nimis etiam in rem domesticam insinuabat. In scriptis denique Calvinus politicam et Ecclesiasticam potestatem bene a se invicem secrevit atque seposuit, quum contra Genevae utraque potestas tam arcte inter se coniuncta erat, ut civilis politia, nomine Ecclesiae domina, re fiat Ecclesiae ancilla.

CONCLUSIO PARTIS I,

QUA BREVI CALVINI DE ECCLESIA SENTENTIA EXPONITUR.

Ecclesia duplex est, quarum altera hominum oculos fugit et solius Dei respectu Ecclesia dicitur, atque adeo natura sua est invisibilis. *Est haec Ecclesia societas eorum, qui secundum aeternum Dei beneplacitum ad salutem sunt praedestinati; in qua igitur nullum, neque loci, neque temporis discrimen observatur. Altera, quae hominum respectu Ecclesia dicitur,* visibilis *est, et toto coelo secreta ab altera illa Ecclesia, quacum ei nonnisi fortuita quaedam relatio intercedit. Haec autem Ecclesia, ad mundi originem revocanda, et initio quaquaversum dispersa ac disiecta, mox ad Abrahami familiam et Israëlitarum gentem sese contraxit, donec post Christi adventum e reliquis quoque nationibus eligere quosdam visum sit Deo. Machinationes Satanae, qui Dei Ecclesiae insidiari numquam cessat, omnipotens Dei virtus irritas reddit et incassum. Ipse Deus hanc Ecclesiam electis suis in medium gratiae offert, quod ad matris instar institueret eos atque educaret*[1]).

---

[1]) Quid inter societatem et institutum intersit, optime intelligetur, si reputamus, Ecclesiam, quae est *societas*, evanescere illico e conspectu, simulatque socii desint; quum contra Ecclesia, quae *institutum* potius habenda est, qualem definivit eam

Itaque natura sua institutum *est hominibus extrinsecus impositum, cuius unicum fundamentum est sublimis illa doctrina, quam a Mosis inde tempore usque ad Christi apparitionem, et per ipsum deinceps Christum eiusque Apostolos revelare nobis Deus dignatus est, quaeque, veluti gratiae thesaurus, in s. scriptura deposita est. Est hoc institutum* doctrinale, *quatenus hoc sibi mandatum habet officium, ut a Deo ad salutem praedestinatis divina mysteria explicet, persuadeat, menti infigat atque inculcet, atque adeo tunc demum perfectum erit et absolutum, quum reiectis ceteris reprobatisque, omnes Dei electi divinam doctrinam, Spiritu simul et Ecclesia operante, perceperint atque inconcussa fide erunt amplexi. Una haec Ecclesia est unanimi doctrinae consensu, perpetua, quum Deus eam conservat, ad sanctitatem tendens, denique ab errore vacua (infallibilis), inquantum sancti Spiritus organon divina pollet auctoritate, dummodo Dei verbo adhaereat. Praeest ei Christus Dominus noster, qui regit eam, fovet atque illuminat, sub cuius imperio in duplicem dividitur ordinem, quorum docet hic, docetur ille, quos inter adeo ea intercedit relatio, qua cum magistro discipuli coniuncti esse solent. Ministrorum ordini doctrinae thesaurum commisit Deus, quem religiosissime perscrutentur* Doctores, Pastores *contra in divina sua potentia ac virtute populo annuntient. Dedit iisdem sacramentorum administrationem, quorum usu electorum cor fide penitius imbueretur. Dedit quoque clavium potestatem, qua fulti per varios disciplinae Ecclesiasticae gradus, doctrinam sibi commissam a profanatione tueantur, et ubi res id ita postulet, ad fidem ei praestandam vi homines obstringant. Quodsi ne vel sic tamen perversa cordis durities confringi potest, magistratus praesto est, qui divina auctoritate dominans Ecclesiae auxilium ferre debet, et gladii sibi commissi iure aut domare contumacem et compescere, aut mortis poena infringere nefandam pervivaciam. Plebs contra submisso ac docili animo doceri se patiatur et verbi divini ministros summa veneratione atque observantia prosequatur, iisque de honesta vivendi ratione ultro pro-*

---

una cum Romanensibus Calvinus, superstes maneret, etiamsi deessent prorsus fideles, et nil nisi merum institutum inveniretur. Hanc revera Calvini esse mentem in affini exemplo ipse nos docet per haec verba: „Quicquid Ecclesiae „ministris defert scriptura, id totum, non ipsis proprie hominibus, sed mini„sterio, cui praesunt, datur." *Inst.* IV. 8. 2. Ubi vides ministerium absque ministris non tantum cogitari posse, sed propriam ac privam huius institutionis indolem exprimere.

spiciant. Eliguntur verbi divini ministri coöptatione cum tacito totius Ecclesiae consensu; ita tamen, ut civilis auctoritatis simul ratio habeatur. Adiunguntur iis certo quodam numero Seniores, quos de plebe eligant pastores, vel etiam e suo medio magistratus, ut adsint pastoribus in Eccl. disciplina exercenda, morum censuram agant, et laïcorum iura apud ministros defendant. Diaconis denique bonorum Ecclesiae dispensationem Ecclesia mandat, ut pauperum inopiae subveniant, pastoribus praebeant alimenta et solemnem Dei cultum decenter promoveant, de omnibus autem rationem reddant magistratui atque Ecclesiae.

PARS II.

EXPONITUR J. À LASCO DE ECCLESIA SENTENTIA.

PRAEMONENDA.

Parva Lasci et pulvere denigrata opuscula si cum spissis Calvini voluminibus confers, ingens fontium, unde hauriendum nobis erat, naturae differentia sponte in oculos incurrit. Natura sua ad scribendum proclivis hic uberrime de quovis doctrinae loco sententiam suam condidit, quum ille contra nonnisi pro re nata et veluti postulatus rarissime stilum egit. Ubi tamen egit, tam egregie auctoris partes sustinuit, ut superstites libelli, etsi grave ampliorum excitent desiderium, tamen valore suo atque pretio exiguitatem numeri aliquatenus certe compensent, et praesertim, ubi de Ecclesia eius sententia sciscitatur, mirum sane dictu sit, quam accuratam nobis et solidam notitiam suppeditent. Quo factum, ut de nullo fere ad Ecclesiologiam pertinente loco dubii, quid censuerit à Lasco, haeserimus. Si quae tamen sine responsione praetermiserit ipse, in silentio maluimus acquiescere, quam praeter ipsum auctorem sapere et Lasci nomine promere, de quibus ipse forsan ne cogitavit quidem. In universo igitur, ut compositioni consuleretur, eandem prorsus disquirendi rationem ac in priore parte sequi potuimus. Ubi tamen a Calvino tale quid fuse exponitur, de quo apud Lascum ne vocula quidem occurrit, ubi rursus a Calvino omissum fuit, quod e Lasci sententia omissum noceret, paululum de via nos decessise res ipsa clamat. In margine Lasci opusculorum seriem

exhibuimus, ut quomodo eius libellorum tituli infra decurtati sint, palam sit iis, qui numquam manu eos triverunt [1]). Prius-

1) LASCI operum variae exstant Syllogae haud paullum a se invicem diversae, nimirum apud J. VERHEYDEN, *Praest. aliqu. Theol. Effig. Elogg. libror. catalog.* Hagae-Comit. 1602. p. 89; D. GERDES, *Floril. hist. crit. libr. rar.* Gron. 1763. Ed. 3a. p. 226; *Miscellanea Groning.* Tom. III. fasc. 1. ai. 1740. p. 80; REERSHEMIUS, *Luth. Ostfr. Pred. Denkmal*, Aurich 1796. p. 23; BERTRAM, *Hist. Critica J. à Lasco*, Aurich 1733. p. 29; Eiusdem, *Erl. und verth. Ostfr. Kirchengesch.*, Aurich 1733. p. 93; L. HARBOE, *Zuverl. Nachr. von den Schiks. des J. à Lasco*, Koppenh. u. Lpz. 1758. p. 18. nota; ROLL, *Bibl. nob. Theol.*, Lpz. 1709. p. 302; FREHERUS, *Theatr. vir. erud. clar.*, Noribergae 1688, p. 182b; REGENVOLSCIUS (WEGIERSKY), *Systema Historico-chron. Eccl. Slavon.*, Trai. a/Rh. 1652. III. 412; ADAMUS, *Dec. duae vit. exter. Theol.* 8°. p. 22. et FREYTAG, *Analecta critica*, in voce: *à Lasco.* In quibus quaenam desint, quae spuria, quae genuina exponere nunc longius esset; neque id enim agimus, ut omnibus numeris absolutam seriem eius operum exhibeamus, quod in editione Lasci operum facere mox speramus, sed eos tantum libellos recensemus, quibus in hac disquisitione uti nobis contigit. Sunt autem sequentes:

1°. *Defensio verae semperque in Ecclesia receptae doctrinae de Christi Domini incarnatione adversus Mennonem Sim. Anabaptistarum doctorem per* J. à LASCO, *Poloniae Baronum, ministrum Ecclesiarum Phrisiae-orientalis.* Bonnae ex officina Mylii a°. 1545. (de Christi incarnatione.).

2°. *Confessio* J. à LASCO *de nostra cum Christo Dom. Communione et corporis sui item in Coena sua exhibitione cum Epistola praemonitoria ad ministros Eccl. Frisiae-Orientalis.* s. a. l. et typogr. (*a.* Conf. de nostra cum Chro communione. *b.* Conf. de Christi corpor. sui exhib.).

3°. *Of het den Christenen, nadien zij het word Godes, ende de godloosheyt des Paauwstdoms bekent hebben, eenighsins veroorloft is, dat zij zich in den paauwstlicken godsdiensten, ende in zonderheyt in den misse vinden laten. Jeremia* 51. Emden. Gell. Ctem. 1557. (de missa papali.).

4°. *Forma ac ratio tota Ecclesiastici ministerii in peregrinorum Eccl. cett. auctore* J. à LASCO .. *cum ep. nuncupatoria, in qua brevis calumniarum quarundam refutatio, quae falso adversus ipsum in Martinianae cuiusdam apud Brem. pastoris farragine inspersae habentur.* Lond. apud Myerdmann s. a. (Forma ac ratio min. Lond.).

5°. *Brevis ac dilucida de Sacramentis Ecclesiae Christi tractatio, in qua et fons ipse, et ratio totius Sacramentariae nostri temporis controversiae paucis exponitur: naturaque ac vis Sacramentorum compendio et perspicue explicantur, per* JOÄNNEM à LASCO, *Bar. Poloniae, superintendentem Eccl. peregr. Londin. Ephesiorum.* 4. Londini per Steph. Myerdmannum. An. 1552. (Tractatio de Sacramentis.).

6°. *Series ac progressus colloquii* J. à LASCO *cum D. Bentio et ipsomet principe Wurtembergensi. Auctore* J. à LASCO. in MEINERS, *Oostvriesland's Kerkelijke Geschiedenis.* Gron. 1738. Tom. I. p. 618 sq. (Series coll. c. Brentio.).

7°. *Admonitio ad Christiernum Daniae Regem.* Aembdae 1553. Reperitur in GERDES, *Scrin. ant.* II. 682 sq. et in I. UTENHOVII, *Simplex ac fidelis narratio de instituta ac demum dissipata Belgarum aliorumque peregrinorum in Anglia Eccl.* cett. Basil. 1560. (Admon. ad Christ.).

8°. *Catechismus oft Kinderleere, die men te Londen in de Duydtsche Ghe-*

quam autem in rem praesentem veniamus, paucissimis exponendum nobis restat:

De fontibus, unde Ecclesiae notitiam hauriendam statuerit.

Euangelii tam veritate, quam puritate perculsus, id officii nostri esse ducit, » sublatis antichristi novationibus ad priscam illam

---

meynte was ghebruyckende. Ps. 119. Emd. Gell. Ctem. 20 Sept. 1558. (Cat. Lond. mai.).

9°. *Catechismus Emdanus maior* nobis adfuit in MEINERS, *Kort ontwerp van de leere der Waarheyt, of de Oostvriesche Catechismus verklaart.* Emden. 1727. (Cat. Emd. mai.).

10°. *Een korte ondersoekinghe des gheloefs over de ghene, die haer tot de Duydtsche Ghemeinte, die te Londen was, begheuen wouden, wtghestelt doer de dienaers derseluer.* Coll. III. Lond. Jan Daye. 12 Sept. 1566. et Emdae 1558. (Brev. inquis. fidei Eccl. Lond.).

11°. *Een kort begrijp der leeringhe van de warachtighe ende eenighe Ghemeynte Gods ende Christi ende van der ghelooue ende oprechtighe belijdinghe. Rom.* 10. V. 10. Praesto fuit in ed. Emdana a^i^. 1565, in HERINGA, *Kerk. raadg. en raadvr.* IV. II. 1843. et in ed. rec., quam curavit Cl. P. HOFSTEDE DE GROOT. (Conf. fidei.).

12°. *Brief van* JAN à LASCO *tot den godsalighen Leser,* praemissa libello, *de Kleyne Catechismus oft Kinderleere der Duydtscher Ghemeynte van Londen. Ghemaect door* MARTEN MICROEN. Coll. III. ap. Gell. Ctem. Emdae. 1558. (Ep. praem. Cat. Lond. min.).

13°. *Consilium* J. à LASCO, PETRI DU VAL *et* JOH. UTENHOVII *in causa Veseliana.* Aemdae. 1554. (Cons. in causa Vesel.). Legimus in *Francfurter Religions handl.* I. Beil. 290 sq.

14°. Epistolarum amplissima collectio exstat in GERDES, *Scrinium Antiquarium.* Tom. II. I^a^. p. 477—543. II^a^. p. 619—743; Tom. III. I^a^. p. 61—134; Tom. IV. I^a^. 445—491 et Tom. VI. II^a^. p. 644—649.

15°. *Epistolae tres lectu dignissimae de recte ac legitima Ecclesiarum bene restituendarum ratione ac modo. D.* J. à LASCO, *Barone Poloniae et c. autore.* Basil. Jo. Operinus 1556. (Ep. de Eccl. rest. ratione.).

16°. *Purgatio ministrorum in Ecclesia peregrinorum Francofurtensi adversus eorum calumnias, qui ipsorum doctrinam de Christi Domini in coena sua praesentia dissensionis accusant ab Augustana Confessione. Auctore Dom.* J. à LASCO. *Barono Polono.* Basil. Jo. Oporinus a°. 1556. (Purgat. min. Francof.).

17°. Authentica documenta, quae exstant in opusculo: *Simplex ac fidelis narratio, per* JO. UTENHOVIUM *Gandavum,* Basil. Jo. Oporinus. 1560. *a.* J. à LASCO, *Ep. ad lectorem. b.* J. à LASCO, *Suppl. ad regem Daniae* p. 28—38. *c.* J. à LASCO, *admonitio ad regem Daniae* p. 239—255, *d.* quae communi Ecclesiae consensu usque ad p. 98 reperiuntur conscripta, et *e.* Ep. Micronii ad Sen. Hamburg. p. 222—230, de qua ipse testatur: „*Haec est mea Ecclesiaeque nostrae, quae Londini fuit, fides et confessio.*" p. 227. De universo opusculo à Lasco monet: „certe, qui hominem norunt (Utenhoven sc.), non dubitabunt de fide illius in „conscripta per ipsum peregrinationis nostrae istius historia; *quam nos quoque „veram esse coram Domino pro ea ac nobis cognita est, testamur.* p. 5."

»primaevae Ecclesiae Apostolicae puritatem quam proxime accederemus [2]).” In iis sc., quae Ecclesiam spectant, sic omnia a Christi auctoritate pendent, ut »nihil sit agendum, quod non »Christum Dominum auctorem suum in verbo suo habeat [3]);” nam »extra Christum Dominum doctrinaeque eius lucem nihil »se omnino (quod ad divina attinet) videre ullo modo posse agnoscit [4])”. Esse quoque igitur »ex verbo Dei in Ecclesiis »legitimum ministerium instituendum [5]),” adeo ut »nihil recipiatur, cuius fontes in verbo Dei commonstrari nequeant [6]).” Continetur illud »in de heylighe Bibelsche Schrift, d. i. het »oude en het nieuwe Testament, daer ons sekerlick de onbe»drieghelycke waerheyt wt den monde Gods voerghehouden »werdt [7]).” Quamvis autem verbum Dei tam novo, quam veteri

---

Reliqua eius opuscula aut nondum reperire nobis contigit, aut nihil omnino continebant, quod in usum nostrum convertere potuimus. Nusquam praeterea in disquisitione nostra mentionem fecimus de P. BARTELS. *J. à Lasco.* Elberfeld 1860, quia Lasci Ecclesiologiam, non autem eius historiam tractamus, et in Biographia Lasci, quam editioni operum ipsius adiungemus, quid de ea lucubratione nobis videatur, sponte dicendi locus dabitur. Vel sic tamen vix me continere possum, quin verbo saltem eius agendi rationem perstringam. Operum Lasci Catalogum edere se posse negat et ipse fatetur praecipuorum Lasci opusculorum copiam sibi datam non esse. Cui quaeso unquam in mentem veniet de Paulo scribere, nisi Epistolam ad Romanos perlectitaveris, in Calvini vita describenda operam navare, qui Inst. Rel. Chr. numquam triveris. Et tamen Bartels Lasci biographiam suscepit, etsi „Forma ac ratio minist. Lond.” ei praesto non fuit. At ipse in praefatione lectoris benevolentiam captavi, ultro ingenue confitens, quanta in scriptione mea desint, quam parum essem scribendi adminiculis instructus; sed ut scriberem, rogaverunt amici, et rogatus recusare non potui! Egregium sane, humanissime vir! humilitatis tuae edidisti testimonium, citius tamen, quam par fuisset, oblitus es aurei Horatiani praecepti: „Versate diu, quid ferre recusent, „quid valeant humeri.” Non alii, sed ipse auctor, diiudicare debet quid valeat, et quibus instrumentis in scribendo carere prorsus nequeat, nisi quaenam sint auctoris partes, nullo modo capere se propalam profiteri velit. Sed haec in transitu.

[2]) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 648. Cf. ib. 121, 141, 156, 566; *Suppl. ad reg. Dan.* (*Simpl. ac fid. narr.* p. 29.) et *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1ª. p. 103.).

[3]) *Ep. dedic. in Forma ac rat. Eccl. Lond.* p. 16.

[4]) Ib. p. 117. Cf. *De missa papali.* p. 415. *Conf. fidei*, p. 2, 3, 10. (HERINGA. 233, 234, 247.).

[5]) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1ª. 66.). *Tractatio de Sacram.* praef. p. 7. *Form. ac rat. min. Lond.* p. 121.

[6]) *Ep. ad Ord. pol. Pol.* (*Scr. ant.* II. 2ª. 718.). Cf. *Ep. ad Sen. Francof.* (ib. II. 2ª. 728.). *Suppl. ad reg. Dan.* (*Simpl. ac fid. narr.* p. 32.). *Tractatio de Sacram.* praef. 3, 9, 10, ipsius operis 103ª, 106ª, 110. *Ep. ad Bull. et Pellic.* (*Scr. ant.* IV. 1ª. 458.). *Ep. ad Sen. Pol.* (ib. III. 1ª. 101.). *De missa papali.* p. 4. *Purgat. min. Francof.* p. 11, 12, 22.

[7]) *Cat. Lond. mai.* p. 13.

foedere continetur, absit tamen a nobis ingens deprimere discrimen, quod inter utrumque foedus interest; nam »Euangelii »lux multo magis splendida est, quam umbrae typicae in ve»teri Ecclesia [8])." Apostolorum in N. T. effata sive agendi ratio, quoad auctoritatem, Iesu ipsius dictis nihil omnino cedunt, quatenus »iis solis hunc honorem deferre, ut falli aut fallere »non possint, debeamus [9])," quod »in eos demissus erat Sp. »Sctus unicus veritatis doctor, ut illorum doctrina non iam pro »hominum, sed pro divina potius ipsiusmet Spir. Scti (per eos »loquentis) voce haberemus [10])." Revera Dei verbum in scriptura nobis revelatum esse, »spiritus scti testimonio" certiores reddimur [11]). Euangelii interpretandi ius ét aliis largitur ét sibi strenue vindicat, etsi »Ecclesiae censurae omnia sua libenter et reve»renter submittit [12])," et in omnibus »doctorum sententiam audire iubet [13])." Maximi facit »Catholicae Ecclesiae consen»sum [14])" et de patribus quoque Ecclesiasticis honorificentissime sentit [15]), quamdiu saepta Euangelii non migrantur, quae tamen a plerisque migrata ultro noster fatetur [16]). »Ratio hu»mana in rebus divinis plane coeca ei est [17]);" neque tamen philosophiae aut eruditioni [18]), quippe Sp. scti donis [19]), debitum honorem denegat. Contra »miracula frustra in doctrina nostra

---

8) *Tractat. de Sacram.* p. 65a; Cf. ib. 21b, 30a, 32b, 60a, 72a, 72b, 102a. *Ep. ad Pellic. et Bulling.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 463.). *Ep. ad Dav. Georg.* (ib. II. 1a. 505.). *Forma ac rat. min. Lond.* p. 166, 178, 179. *Cat. Lond. mai.* p. 80.

9) *Coll. c. Noviomagio* (*Simpl. ac fid. narr.* p. 78.). Cf. *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 93, 96.).

10) *De incarnat. Christi* H. v. ζ. *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 76.).

11) *Purg. min. Francof.* p. 11. *De missa papal.* p. 3. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 387, 393. 12) *Tract. de Sacram.* praef. 6.

13) *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 454.). *Tract. de Sacram.* praef. 10.

14) *Purg. min. Francof.* p. 51. *Tract. de Sacram.* praef. 4; *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 104.). *Ep. ad Hardenb.* (ib. p. 14.). *Forma ac ratio min. Lond.* p. 547. *Ep. dedic.* ib. p. 7. *Series coll. c. Brentio.* (Meiners. I. 626.). *De incarnat. Chri.* Cf. C. v. δ, K. II. β.

15) *Purg. min. Francof.* p. 54. Cf. *Tract. de Sacram.* praef. 9. operis 11, 27a, 29a. *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 105.). *Ep. ad Hardenb.* (ib. II. 2a. 629.). *Forma ac rat. min. Lond. Ep. dedic.* p. 5, 11.

16) *Tract. de Sacram.* p. 38a. Cf. *De incarn. Christi.* I. III. α.

17) *Tract. de Sacram.* p. 29b. *De missa papal.* 3, 4. *Ep. ad Pellic. et Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 458.). *Ep. ad Ann. Comit.* (ib. II. 1a. 495.).

18) *Ep. ad N. N.* (*Scr. ant.* II. 1a. 489.). *De incarnat. Christi.* D. II. α, G. v. δ, Ib. I. α, II. β.

19) *De incarnat. Christi.* G. v. δ.

requiri" docet[20]. In ceteris denique Caeremoniis constituendis »suam Ecclesiis libertatem permittit[21]), pro locorum ac »temporum discrepantia[22])."

CAPUT I.

DE ECCLESIAE ORIGINE ATQUE HISTORIA.

§ 1. *De Ecclesiae auctore.*

Quemadmodum credit noster et confitetur: «dat Godt is de »Schepper, onderhouder ende regeerder aller dinghen, die in »den Hemel zijn ende in der Aerden[1])," Deum Ecclesiae quoque auctorem esse statuit, et in voce »Ecclesiae" explicanda testatur: »het heeft synen naem van wtroepen, omdat Godt »wt alle menschen de synen in eenen eyghenen hoop roept[2]);" vocatur igitur »Dei Ecclesia[3])," et dicitur »in sacro sancto »Eius nomine collecta esse[4])." Si porro novae constituuntur, Deo id gratum refert, »quod admirabili sua bonitate eas plan»tare voluerit[5])." Ut brevi dicam, nihil est in Ecclesia, quin ad Deum auctorem referendum sit, et »omnes quaelibet Eccle»siasticae institutiones a Deo unice pendent[6]). Praesertim, ubi de veteris oeconomiae Ecclesia sermo fit, Deus ubique locorum, tamquam Ecclesiae auctor celebratur. Ceteroquin in Lasci scriptis ubiubi cum Christo potius Ecclesiam coniunctam deprehendes, et disertis verbis »Christi institutio" Ecclesia appellatur, ubi dicit, Spiritum Sctum celebrari, tamquam »perpe-

---

20) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 104.).
21) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 142.
22) Ib. *Ep. dedic.* p. 23. Cf. ib. 24. et operis 19, 90, 140. *Ep. ad Pellic.* (*Scr. ant.* II. 1a. 532.). 2a. *Suppl. ad reg. Dan.* (*Simpl. ac fid. narr.* p. 44.).
1) *Conf. fidei.* p. 15. (HERINGA 257.). 2) Ib. p. 2. (HERINGA p. 231.).
3) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 171, 271, 319; *Ep. ad Christ.* III. (*Scr. ant.* II. 2a. 685.). *Ep. ad Henr. Elect. Pal.* (ib. II. 2a. 722.).
4) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 319. 5) Ib. p. 77.
6) Ib. p. 171. Cf. ib. p. 510. *Ep. ad Cranm.* (*Scr. ant.* II. 2a. 666.). *Ep. ad Hardenb.* (ib. II. 2a. 683.).

»tuus testis ae glorificator Domini Christi in *institutione sua* [7])." *Christi* auctoris epitheton certam ubique fere sedem habet, ubi Ecclesia commemoratur [8]), et quemadmodum omnis Ecclesiae institutio ad Christum refertur, sic quoque Christus esse dicitur, qui »potestatem et auctoritatem Ecclesiae dedit [9])." Neque Lascum accuratius inter Dei et Christi ad Ecclesiam relationem distinxisse, nihil certe habet, quod miremur, et pro cogitandi ratione, cui aetas illa favebat, ei cum omnibus fere sui temporis Theologis commune erat. Quod tamen frequentius, quam illi, Christo Ecclesiae originem adscribere solet, idcirco notatu dignum videtur, quoniam infra quoque saepius simile quid nobis occurret.

§ 2. *A quo inde tempore Ecclesia exstiterit.*

Credit à Lasco »Iesum Christum Dominum suam habuisse Ecclesiam ab initio mundi [1]);" ubi igitur in Cat. Lond. rogatur, quid sit Ecclesia? respondet: »Ik gheloue ende bekenne eene »vergaderinghe der Christenghelooüighen op aerden van Adams »tijden af [2])," et similiter in »Confessione fidei" testatur: »So is dan de ghemeynte Christi de vergaderinghe der men»schen met haren zade, die van onzen eersten vader Adam, »cett. [3])," et alibi denique: »Het ouderdom der warachtige »Ghemeynte Gods, bekennen wij in den roep ons eersten vader »Adams na synen val [4])." Quodsi ergo constat Ecclesiam e mente Lasci originem duxisse a mundi inde initio, ne in voce »Ecclesiae" ludere videatur, diversissimas res eodem nomine comprehendens, demonstrandum restat veteris occonomiae Ecclesiam unam fuisse revera cum Ecclesia Christiana, et utriusque similem esse ad Christum relationem. Hic quoque diserta à Lasco nobis suppeditat verba, quae omnem dubitationem facile tollunt. »Unus atque idem utriusque Ecclesiae Deus, una

---

7) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 593.

8) Ib. p. 50, 53, 55, 86, 97, 98, 106, 107, 108, 126, 130, 131, 132, 134, 166; 593 al. *Tract. de Sacram.* 21b, 23a, 40a. *Cat. Lond. mai.* p. 60. passim. *De incarnatione Christi* C. v. γ. *Ep. ad Christ.* III. (*Scr. ant.* II. 2a. 685.). *Ep. ad Bull.* (ib. IV. 1a. 457.).

9) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 398. 1) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 176.

2) *Cat. Lond. mai.* p. 76. 3) *Conf. fidei.* p. 23b. (HERINGA. p. 274.)

4) *Conf. fidei.* p. 4. HERINGA p. 235.). Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 166 et *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. p. 100, 101.).

»item atque eadem etiam utraque haec Ecclesia fuit [5]," nam »una semper eademque est catholica Dei Ecclesia, et unum item »atque idem aeternum Dei foedus in illa [6]);" et disertius etiam in Conf. fidei declarat: »So is dan altijdt een eñ deselue Ghe»meynte Gods, de gene die Christum noch toekomende ver»wachtte, — eñ die daer nu waerachtig ghelooft, dat Christus »haer nu ghegheuen is [7])." Utraque enim Ecelesia »unum ha»bet Deum, unam fidem, unum baptismum [8])," »unum foedus, »unum denique Dei hominumque mediatorem atque unam et »eandem omnium salutis rationem [9])." Utriusque Ecclesiae sacramenta eiusdem plane naturae sunt, »quod ad finem, myste»rium [10]) et usum [11])." »Communio quidem nostra in corpore »et sanguine cum Christo Domino initium suum habet ante tem»pora aeterna, neque vero tum demum coepit institui, cum »Christus Dominus in coena sua panem exhibuit [12]);" »cuius »donatio iam in patribus facta est [13])." In solidum ergo cum priscis Israëlitis coniungimur, quotquot nunc post Christi demum adventum inseramur in Ecclesiae corpus, nam »in lum»bis eorum iam tum una atque eadem Ecclesia cum illis era»mus [14])," illis »ad Christum venturum respicientibus, quum »nostra Ecclesia de Christo exhibito testificatur [15])." Etsi igitur »de leeringhen en 't geloof,... in gheenderly wijze verandert »zijn [16])," neque »a lege, quae acteruam Dei voluntatem con»tinet, iota sive punctum cadere fas est [17])," »hoc tamen nomine

---

[5]) *Tract. de Sacram.* p. 128b. [6]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 130.

[7]) *Conf. fidei.* p. 5. (HERINGA. p. 237.). Cf. ib. p. 4. (HERINGA. p. 236.). *Forma ac rat. min. Lond.* p. 208. [8]) *Tract. de Sacram.* p. 128b.

[9]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 208. Cf. ib. p. 131.

[10]) *Tract. de Sacram.* p. 65b.

[11]) *Cat. Lond. mai.* p. 100. Cf. *Purg. min. Francof.* p. 21, 22; *Tract. de Sacram.* p. 13a, 16a. Sunt ea sub V. T. aut *ordinaria*, ut circumcisio et agnus paschalis, (ib. 70a, 71a—77b et 78a—81b.), aut *extraordinaria*, ut v. c. arcus coelestis, flamma coelestis (ib. 18b.), manna pluens al. (ib. 20a.).

[12]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 210.

[13]) *Tract. de Sacram.* 60a. Cf. ib. 43b et 56b.

[14]) Ib. p. 129a. Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 20.

[15]) *Tract. de Sacram.* p. 16a, 65a. Cf. *Conf. fidei.* p. 5a. (HERINGA. p. 237), passim. [16]) *Conf. fidei* p. 5. (HERINGA. p. 237.).

[17]) *Cat. Lond. mai.* p. 48. Cf. *Forma ac ratio min. Lond.* p. 131, 146, 159, 160, 205, 210, 211, 234, 383, 385, 536, 544, 550, 551, 556, 570, 612, 618 al. *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 68, 72.). *Ep. ad Sigism. Pol. reg.* (*Scr. ant.* III. 1a. 130.). *Ep. ad Cranm.* (ib. II. 2a. 665, 666—668.). *Ep. ad Prasnic.* (ib. II. 2a. 681.).

prae veteri illa Ecclesia longe eminet nostra, quod 1°. »foedus »ipsum, quod antea ad solos Iudaeos peculiariter pertinebat, — »protensum est per Christum Dominum in omnes totius orbis »terrarum gentes [18]);" et 2°. quod Euangelium nos liberavit »van alle wtwendighe caeremonische insettinghen, die den in-»wendighe menschen niet aenghaen [19])."

§ 3. *Ubinam sit Ecclesia reperiunda.*

Initio »ubique terrarum collecta Ecclesia" sine ullo gentis sive nationis discrimine omnes pariter homines spectabat [1]). Deus enim creaverat Adamum et vocaverat, »hem gheuende de be-»loftenisse des zaedts, door welcker kracht ende verdienste hij »met synen zade het volck Gods wesen soude [2])." Mox autem foedere cum Abrahamo pacto in eius familia dehinc salutis propromissio inhaesit, adeo, ut »eius semen eius temporis Eccle-»sia" dicta sit [3]), vel disertius etiam testetur noster: »Abrahae »familia ipsa tota Ecclesia erat [4]);" et eo nomine vere Christiani homines etiamnunc »Abrahae filii censentur [5])." Duravit »patriarcharum Ecclesia" usque ad Moysem [6]), qui lege data ad totum Israëliticum populum Dei gratiam extendit [7]), a quo inde tempore »Israëlis Ecclesia" dicta est [8]), quod dehinc »foe-»dus ipsum ad solos Iudaeos peculiariter pertinebat [9]);" quibus sepositum remansit, donec »per Christum Dominum tandem »protensum est in omnes totius orbis terrarum gentes [10]). »Est-»que nunc in confesso omnia locorum, temporum, personarum »discrimina luce Euangelii dispulsa iam prosusque abrogata »esse [11])."

In Historia Ecclesiastica tradenda, quid a Calvino distaret à Lasco, vel etiam levius dissentiret, prorsus non video. Praeterea ipsa res loquitur in parvis Lasci opusculis nonnisi hic illic

18) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 131. 19) *Cat. Lond. mai.* p. 48.

1) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 176. Cf. *Conf. fidei* p. 2ª. (HERINGA. p. 232.) et 2ᵇ (ib. 233.). *Cat. Lond. mai.* p. 76. et *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. aut.* III. 1ª. 101.).

2) *Conf. fid.* p. 4ª. (HERINGA. p. 235). 3) *Tract. de Sacram.* p. 71ª.

4) Ib. p. 76ª. 5) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 208. Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 20.

6) *Tract. de Sacram.* 129ª. 7) *Conf. fidei* p. 4ᵇ. (HERINGA. p. 236.).

8) *Tract. de Sacram.* p. 43ᵇ. Cf. ib. 129ª. 9) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 131.

10) Ib. 11) Ib. p. 153.

quaedam vestigia deprehendi, ubi, quid de historia Ecclesia censuerit, edoceri possimus. Ubi tamen attigit eam, simile prorsus apud Lascum quoque spectaculum exhibetur perpetuae atque internecivae dimicationis, quam cum Deo sustinuit satanas. Quum igitur supervacaneum videbatur bis eadem repetere, potius habuimus in margine praecipuos annotare locos, ubi Lascum in historia Ecclesiae obiter exponenda deprehendimus occupatum [12]).

CAPUT II.

DE ECCLESIAE NOTIONE.

---

§ 1. *Quotuplici sensu Ecclesiae vocabulum ab eo usurpetur.*

Distinctionem *visibilem* Ecclesiam inter atque *invisibilem* a Lasci Ecclesiologia prorsus alienam esse, et nullibi, quantum scio [1]), in scriptis ipsius vel obiter commemorari, nunc verbo tantum moneo, infra quam accuratissime in veram Lasci de ea re sententiam inquisiturus. Nec tamen semper et ubique locorum eadem plane significatione sine ullo quolibet discrimine Ecclesiae vocabulum ab eo usurpatur. Poterit autem aptissime vocis Ecclesiae apud eum usus ad quadruplicem sensum revocari. Et tunc quidem primum Ecclesiae vocabulum inditur unicuique »coetui, in sacris aedibus »collecto [2])." Secundo deinde saepissime adhibetur ad denotandam fidelium congregationem, qui eodem ministerio reguntur [3]). Tertio designat Christianorum multitudinem, quae pro locorum di-

---

[12]) *Conf. fidei.* p. 4. (HERINGA. p. 235., *Forma ac rat. min. Lond. Ep. dedic.* p. 3. operis p. 34, 139, 207, 208, 131, 153, 505, 563. *Cat. Lond. mai.* p. 20. *Purg. min. Francof.* p. 13. *De missa papali.* p. 21. *Tract. de Sacram.* p. 13a, 71a, 76a, 129a. *Ep. ad Edw.* VI. ib. p. 2. *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III, 1a. p. 103, 109.

[1]) Sc. in libellis, quos nondum reperire potui, discrimen illud frustra quaesitum iri, affirmare ausim, nec tamen certo scio.

[2]) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 309. Cf. ib. 307, 308, 310, 317, 321 passim. *Tract. de Sacram.* p. 106a.

[3]) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 538.

versitate ab aliis distincta, certam quandam regionem occupat, adeoque sermo fit de Ecclesia »Angliae [4]), Helvetiae sive Gal»liae [5])." Quarto denique Ecclesiae vocabulum eo sensu in eius scriptis occurrit, ut sit ei »per universam orbem terrarum dis»persa [6])," »catholica Christi Ecclesia [7])." Huius autem universalis Ecclesiae singulas particulares Ecclesiolas veluti particulas esse et universam Ecclesiam in se repraesentare, luculenter nos docet in epistola, quam ad Daniae regem misit post repudiatam hospitii supplicationem. Contendit in ea à Lasco Catholicam Christi Ecclesiam in sua peregrinorum Ecclesia graviter laesam esse atque offensam, quoniam membro illata iniuria non potest non toti corpori inferri, quod facile comperies, inquit, dummodo »nos nostrasque Ecclesias pro membris in Catholica Christi Ecclesia agnoveris [8])."

§ 2. *Ecclesiae definitiones.*

Definitiones Ecclesiae, quas in Lasci scriptis invenimus, longe melioris notae sunt, quam eae, quas hic illic in scriptis suis commemoravit potius, quam composuit Calvinus. Non enim acquievit à Lasco in magniloquis dicendi formulis, quas a veteri Ecclesia mutuaverat Calvinus, sed ipse quoque mentem suam accuratius explicare studuit. Ipsum »Ecclesiae" vocabulum a verbo ἐκκαλεῖν derivat, et saepius in definitione sua ad huius verbi significationem redit: »Dit Griekx woordt Ecclesia, (dwelek »wij Kercke of Ghemeynte noemen) heeft synen naem van wt»roepen, omdat God ..., de sijne in eenen eyghenen hoop roept [1])." Libellus, unde haec verba desumta sunt, »Confessio sc. fidei", quam una cum Symmystis suis in gratiam Ecclesiae Londinensis

---

[4]) Ib. p. 74.

[5]) Ib. p. 76. *Tract. de Sacram.* p. 102b. *De incarn. Christi.* A. III. *a. Ep. ad Edw.* VI. in „*de Sacram.*" p. 17. *Ep. ad Bull. et Pell.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 463), *Ep. ad Buc.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 465.).

[6]) *Cat. Lond. mai.* p. 76. *Forma ac ratio min. Lond.* p. 74, 176. *Conf. fidei.* p. 2. (HERINGA. p. 231, 232.). *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 100.).

[7]) *Ep. ad Edw.* VI. praem. „*de Sacram.*" p. 15. Cf. ib. 16, 17, operis p. 51b, 55b. *Ep. ad Bull. et Pell.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 464.). *Ep. ad Christ.* III. (ib. II. 2a. 686.)

[8]) *Ep. ad Christ.* III. (*Scr. ant.* II. 3a. 686.). Cf. *Simpl. ac fid. narr.* p. 239—255.

[1]) *Conf. fidei.* p. 2a. (HERINGA. 231.).

composuit [2]), nihil aliud proprie sibi vult, quam ut accuratius primum varias, quae cum Ecclesia coniunctae sunt, notiones perscrutetur et expendat, deinde coniungat, quae praevia disquisitio invenerit, componat ac colligat in unum, ut tandem variis Ecclesiae notionis membris, ut ita dicam, rite compositis, eam tandem plenissima Ecclesiae definitio prodeat. Igitur omissis reliquis omnibus, quae in libello illo reperiuntur definitiones; eam tantum, quae ordine postrema est, et quidem hic illic per compendia describemus. Sic fere sese habet: »So is dan de Ghe»meynte Christi, de vergaderinghe des menschen met haren »zade, (die van onzen eersten vader Adam, tot den eynde des »werelts toe, bij de stemme Gods, door de Enghelen, Prophe»ten ende Christum, mitsgaders zijn Apostelen voortghebracht, »wt de menichte van allen anderen menschen wtgheroepen zyn»de, of noch wesen sal) ghelooft ende belijdt, tzy eygentlick, »tzy openbaerlick, of met den monde, of met onderhoudinghe »der Ceremonien van Christo inghestelt, ende de bewijsinge »der Ampten, nae den roep van een yeghelicken. Dat de Sone »Marie warachtelick Jesus zij, ... dat hy oeck is in de ghemeyn»scap ons vleesches volghenoechsaam Saliehmaker, dat hij God zy. »Bouen dien, die daer belijdt desen seluen Jesum te wesen Chris»tum [3])." Passim quoque in reliquis eius opusculis definitiunculae quaedam occurrunt, multo minoris tamen pretii habendae. Sic v. c. Ecclesia dicitur »Coetus fidelium, in nomine Christi ubique ter»rarum collectus [4])," et alibi rursus »Coetus, in quo publice »sonat vox Dei in Euangelio Christi perquam mirabili Dei pro»videntia [5])," et sic plures etiam expiscari potuissem, quas tamen compendii causa omitto omnes praeter hanc unam: Ecclesia est »eene verghaderinghe der Christen gheloouighen op aerden, »van Adams tyden aen, tot nu toe, ende noch tot aan den »eynde des werelts durende, gheheylicht door den Heylighen »Gheest, ende als lidtmaten in een lichaem onder één Hoofdt »te zamenghevoecht, tot harer opbouwinghe in 't gheloue ende »alle goede werck [6])."

---

[2]) Esse revera hanc confessionem ab à Lasco in usum Eccl. Lond. conscriptam, divinavit potius, quam demonstravit Cl. VINKE. HERINGA Kerk. Raadvr. en Raadg. IV. II. Utr. 1843. p. 229 sq. Quo iure Lasco tamen eam tribuerim, in operum ipsius editione ostendam.

[3]) *Conf. fidei.* p. 23ª et 24. (HERINGA. 274—76.).

[4]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 176. Cf. ib. 538. [5]) Ib. p. 166.

[6]) *Cat. Lond. mai.* p. 76.

§ 3. *Imagines, quibus Ecclesiae notio illustratur.*

Matris, in Ecclesia describenda, imaginem, quae a Cypriani inde tempore stabilem habuit sedem in Ecclesiologia Romanensium, et Calvino quoque tantopere placebat, nusquam in Lasci scriptis deprehendi. Neque in universo eius scribendi genus imaginibus abundat, sed propriis plerumque verbis enuntiat simpliciter, quod in mente Lasci erat. Quae tamen parce subinde occurrunt, Ecclesiam nobis depingunt aut in eius ad veritatem, aut ad ipsos fideles, potissimum tamen in eius ad Christum relatione. Ad primum genus referendae sunt imagines, in quibus Ecclesia nobis proponitur veluti »columna ac basis »veritatis [1]," sive tanquam »verae ac salutaris doctrinae.. ob»servatrix [2]." Ipsi autem fideles respiciuntur, ubi Ecclesia dicitur »societas filiorum Dei [3])," »communio sanctorum [4])" vel etiam »congregatio puerorum Abrahae [5])." Saepius tamen in sua ad Christum relatione Ecclesia spectatur, et tunc quidem promiscue celebratur, tanquam »ipsum regnum Christi in terris [6])," et »mysticum Christi corpus [7]);" vel etiam fatetur à Lasco, »Eccle»siam Christi esse testem [8])," sive denique »Christi sponsam [9])" adeo, ut »matrimonium nostrum typum quendam esse" doceat »desponsionis inter Christum et Ecclesiam ipsius [10])."

§ 4. *Num distinxerit inter Ecclesiam visibilem atque invisibilem?*

Quicunque rite aestimare velit commutationem, quam per sacrorum Saec. XVI[i] emendationem reapse Ecclesiae dogma subiit, libenter calculum suum adiiciet hisce Schenkelii verbis: »Die Reformation war ihrem Karakter nach wesentlich Kirchen»verbesserung. Sie war mithin die Negation des bisherigen

---

1) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 100).
2) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 74. Cf. *Tract. de Sacram.* praef. p. 10.
3) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 167.
4) *Cat. Lond. mai.* p. 76. Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 502.
5) *Tract. de Sacram.* p. 46a. 6) *Ep. ad Christ.* III. (*Scr. ant.* II. 2a. 687.).
7) *Forma ac rat. min. Lond.* 284, 342, 501. al. *Tract. de Sacram.* p. 62a. *Ep. ad Christ.* III. (*Scr. ant.* II. 2a. 685.).
8) *Ep. ad Sen. Pol.* (ib. III. 1a. 108.).
9) *Ep. ad Christ.* III. (ib. II. 2a. 685.).
10) *Tract. de Sacram.* praef. p. 10.

»Kirchenbegriffs und die Position eines neuen, in welchem »nicht mehr das Institut, sondern das Subject zuerst gesetzt »war [1]).” Quod dicit Schenkel, apud Romanenses ipsum Ecclesiae institutum primum positum esse, nihil aliud est, quam quod aliis verbis supra monuimus, institutum Ecclesiae veluti extrinsecus fidelibus impositum per se cogitari posse, quamvis prorsus deessent fideles, quibus imponeretur. Quam facile porro et nullius fere negotii res erat, istiusmodi Ecclesiam, quae non inter ipsos fideles veluti nasceretur, sed mente tantum comprehendebatur, omnibus numeris absolvere atque perficere, unam promulgare eam, sanctam et infallibilem proclamare, res ipsa loquitur, et luculenter docuit historia. Quum igitur reformatores in ipsum fidelium sinum Ecclesiam detulerant, necessarie Ecclesiae perfectitudo ingens cepit damnum, quippe in hominum coetu dehinc inhaerens, qui et falli possunt et labuntur quotidie; nisi cum Anabaptistis tibi sumas proprio marte dignoscere inter vere Christi fideles et eos, qui speciem fidei tantum obtendunt. Una cum reformatoribus reliquis fere omnibus, ut supra vidimus, Calvinus dogmate invisibilis Ecclesiae sese expedire conatus est ex laqueis, quibus necessarie cum Romanensibus controversia eos irretiverat. Tam subtili distinctione parum delectatus à Lasco, et Euangelii vestigia pressius secutus istiusmodi cogitationis figmento calculum suum nusquam addidit, sed semper et ubique locorum Ecclesiae nomine eam designat hominum congregationem, quae in terra re factoque adfuit, adest, sive aderit, atque oculis conspiciendam sese praebet. Nondum sanctam eam esse necdum perfectam, sed promiscue in ea vere Christi fideles cum pravis versari ac hypocritis, penitus sensit noster et ultro confessus est; vel sic tamen continuo ei ob oculos versabatur perfectissimum Ecclesiae exemplar, Ecclesiae illius sine macula ac ruga, quam mente complexus instauratum iri aliquando certissime exspectabat; neque umquam a spe seiungit animum, quin assidua Christi praedicatione et fraterni amoris demonstratione hic iam in mundo degens Ecclesia quam proxime olim ad verae Ecclesiae notionem accederet. Ipse manum ad opus admovit fecitque periculum, ut conderet Ecclesiam, in cuius rugis expoliendis maculisque ac naevis abstergendis assiduam navaret operam, donec primaevae sub Apostolis Ecclesiae

---

1) HERZOG, *Real-Encyclop.*, in voce: Kirche. S. 576.

vix quicquam cederet. Quaecunque igitur in Ecclesiae membris dona collocaret spiritus sanctus, sedulo excipere solebat atque colligere, ut veri nominis basis ac columna veritatis Ecclesia haberi posset. Et quum optime sentiebat, neminem ad verum Christi corpus externa tantum confessione pertinere, sed fidem requiri et intimam cum Christo unionem, ut corporis Christi participationis condignus habearis, strenue et alacriter innisus est, ne quid vitiosum sive reprehensione dignum in Ecclesiae sociis sine gravi admonitione, et ubi res id postularet, sine animadversione praetermitteretur. Sic demum alacrem concipere potuit spem, ut Ecclesia sua, societas ceteroquin hominum, qui nulla non vexati saevitia infortuniisque propemodum confecti ét patriam, ét cognatos, ét bona sua relinquere maluerant, quam vel digitum latum ab Euangelii puritate recedere, quique igitur pietate insignes et prae ardenti religionis amore in paucis erant conspicui, — ut eorum, inquam, congregatio evaderet aliquando Ecclesia in doctrina vera puraque consentiens ac concors, in vitae sanctitate nobilis et honesta. Ut verbo dicam: etsi visibilis atque invisibilis Ecclesiae distinctionem reiecerit, accuratissime tamen inter idealem Ecclesiae et empiricam eius notionem discrevit. Quo factum, ut infracte propositi tenax noster ardentior semper fuerit, et assiduus multo magis in sua Ecclesia reformanda, et dum alii imperfecta sua Ecclesia mox contenti in medio consisterent gradu, molem inchoatam de manu numquam deposuerit, donec sacra nancisceretur quam emendatissima. — Restat, ut certis testimoniis dicta approbemus. Primum itaque demonstrabimus à Lasco *Invisibilis Ecclesiae dogma reiecisse;* qua in re duplici utemur argumento. *Negative* sc. affirmamus, nusquam in Lasci Scriptis »visibilis," sive »invisibilis" praedicata ad Ecclesiam referri; cuius argumenti natura secum fert, ut ulterius illustrari nequeat. *Positive* autem ostendemus, talia in Lasci scriptis de ea praedicari Ecclesia, quae obvia in terris mortalium oculis cernitur, qualia nonnisi ad invisibilem Ecclesiam referri possent ullo modo, ubi haec duplicis Ecclesiae distinctio valet. Huc autem facere opinor, quod *a.* excommunicatum, qui poenitentiam professus, rursus in Ecclesiae sinum reciperetur, in hunc modem alloqui iubet: »hac quidem receptione nos tibi in nomine et virtute Domini »nostri Iesu Christi testificamur, te, qui Satanae membrum esse »coeperas, *iam rursum esse membrum sacroscti corporis Chri-*

»*sti*[1]);" et in fine allocutionis haec adiungit: »Denique te *iam* »*rursum esse fratrem Dom.* nostri Iesu Christi,... atque ita de»mum haeredem, *atque cohaeredem Christi, receptum una nobis*»*cum in sortem sanctorum*[2]);" — quod *b.* roganti in Catechismo: »Wat is dat een heylighe christelicke kercke?" respondet: »een »vergaderinghe der Christen gheloouighen *op aerden*,... *ghe*»*heylicht door den heylighen Gheest*, ende *als lidtmaten in een* »*lichaem*, *onder een hoofdt te samen gheuoecht*[3]);" in quibus verbis vocabula »op aerden" revera ad visibilem Ecclesiam referenda esse egregie docent, quae sequuntur: »daer door se van »andere secten onderscheyden werdt, *dat men se openlick sien* »*mach ende vinden*[4]);" — quod *c.* ab iis, qui externae Ecclesiae communioni adiungere se velint, fidei exigitur confessio, ut »constet toti Ecclesiae ipsos vere esse membra corporis »mystici Christi[5])," — quod *d.* denique »omnes in hoc tali coe»tu certi sunt ex verbi Dei promissionibus, omnia Christi Do»mini beneficia ad se perinde atque ad alios sanctos omnes in »coelo ac in terra pertinere. Deinde, quod certa fiducia sem»per obtinent indubitatam peccatorum remissionem,... Certi »sunt denique se gloriose olim in suis corporibus resurrecturos »esse ad vitam ac gloriam aeternam[6])." — Habemus igitur externae Ecclesiae socios »membra esse sacrosancti corporis »Christi[7])," »fratres Domini[8])," »haeredes atque cohaeredes »Christi[9])," »receptos in corpus sanctorum[10])," »sanctificatos per »Sp. sctum[11])," »Christi beneficiorum, peccatorum inprimis re»missionis esse participes[12]);" quae omnia ad externam et velut palpabilem Ecclesiam ab à Lasco referri palam est unicuique, quum tamen nonnisi ad invisibilem Ecclesiam referri potuissent, si tali distinctioni favisset. Quodsi igitur constat à Lasco invisibilis Ecclesiae dogma, quod sane per ignorantiam eum fugere non potuit, rejecisse, superest, ut commonstremus distinxisse eum tamen inter Ecclesiam idealem et empiricam; quod commode sic ostendi poterit, si apertissime ipsius Lasci verba nos

---

1) *Forma ac rat. min Lond.* p. 501. 2) Ib. p. 502.
3) *Cat. Lond. mai.* p. 76. Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 167.
4) *Cat. Lond. mai.* p. 76. 5) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 167.
6) Ib. p. 177. 7) Cf. supra *a.* et *c.* et 501.
8) Cf. supra *a.* et *Forma ac rat. min. Lond.* p. 502.
9) Cf. supra *a.* et *Forma ac rat.* p. 502. 10) Ib.
11) Cf. supra *b.* 12) Cf. supra *d.*

docuerint, palam eum confessum esse promiscue fideles cum hypocritis versari. Quamdiu enim hyp reperiantur, nondum perfectam esse eam neque esset demonstrare. In ea autem re omnem facile d eximit à Lasco, ubi quaestioni in Catechismo p »dan alle gheloouigh, heylich ende rechtvaardich, die »dese ghemeynte vergadert werden?" respondet: »*Neense, trou- »wen! want daer veel boose ende gheveynsde onder syn* [13])." Quod in alio loco iisdem fere verbis enuntiavit, ubi roganti: »Num »vero omne illi sunt revera filii Dei, qui se... externae ecclesiae »Christi adiunxerunt?" respondet: »*Haudquaquam. Sunt enim »plurimi hypocritae* [14])." Quibus si addiderim haec eius verba: Ecclesia »is aen haerseluen met menigherley ghebreken ende »sonden behangen [15])," — altera quoque demonstrationis pars ad liquidum erit peracta. Quum igitur Romanenses perfectam Ecclesiam *exstare iam et conspici posse* statuebant, Calvinus *exstare quidem*, sed esse invisibilem, *neque* adeo *conspici eam posse* arbitrabatur, à Lasco eam *neque exstare*, *neque conspici posse* confitetur; etsi libenter concedo, hic illic nonnihil apud eum quoque reperiri, unde luculenter patet, quam difficile sit inveterati erroris vestigia penitus excutere.

§ 5. *Relatio Ecclesiae ad »Regnum Coelorum."*

Quid esset de regno coelorum deque eius ad Ecclesiam relatione statuendum, in Calvino satis facile dilui poterat, quum ipse in Commentariis suis sexcenties in huius argumenti explicatione versatur. à Lasco, quantum scio, commentarios numquam scripsit, et nonnisi parce subinde in opusculis suis de regno coelorum fecit mentionem. Quamvis igitur fontium, unde hauriendum nobis est, ratio integrae ac paululum perfectiori huius loci expositioni parum faveat, quae tamen hic illic disiecta colligere potuimus, in usum nostrum digesta exponemus. Duplex in universo regnum exstat, alterum Deo, alterum satanae subditum; quod exinde manifesto deprehenditur, quod Dominicae orationis articulum: »veniat regnum tuum," his verbis interpretatur: »Dat is: o Vader vermeldt dat rijcke des

[13]) *Cat. Lond. mai.* p. 76, 77. [14]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 183.
[15]) *Cat. Lond. mai.* p. 79.

»Sathans, der sonden ende des weereldts in ons, ende regeert »ons door dynen heylighen Gheest,... opdat in ons dijn rijcke »beghinne [1]." Dei regnum saepe etiam »regnum Christi [2]," »regnum filii sui [3])" vel etiam »coeleste regnum [4])" appellatur, et duplici potissimum significatione in scriptis ipsius occurrit. Aut enim concrete pro ipsa sumitur Ecclesia, ubi dicit: »Regnum Christi in terris sunt Ecclesiae ipsius [5]," aut abstracto sensu indicat complexum eorum, quae per Euangelium Deus in homine praestans operatur atque praeclarum [6]. Sic v. c. »Regnum Christi fructificare dicit in omni pietate, iustitia et sanctitate [7]," et alibi rursus »regni Dei in Ecclesia sua propagationem solam ipsius gloriam esse [8]), quod destruit in nobis peccatorum regnum atque mundi [9]). Quod denique Dei regnum in Ecclesia propogari dicitur, id significat: »dat het getal der »ghelòouighen daghelyckx vermeerdert, gheheylight, ghesterckt, »en in de eenicheyt des gheloofs ghehouden werde [10]." Nunc igitur iam in mundo adest Dei regnum, tunc demum autem latissime extendetur, quum »Godt al in allen sal werden ende »heerlyck verschijnen in syne Heylighen [11]."

§ 6. *De Ecclesiae indole.*

Ecclesiam si unice a parte Dei spectatur *institutum*, respectu hominum contra *societatem* habendam esse, supra vidimus. Ubi igitur Ecclesiae indoles e mente Lasci definienda est, ante omnia inquirendum erit, utrum institutum eam, an vero societatem potius habuerit; et tunc quidem »instituti" vocabulum fere nusquam, «*societatis*" ubiubi ad Ecclesiam referri, loco-

---

[1]) *Cat. Lond. mai.* p. 88. Cf. *Forma ac ratio min. Lond.* p. 501.
[2]) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 73, 4.). *Ep. ad Christ.* III. (ib. II. 2a. 687.). *Forma ac rat. min. Lond.* p. 4, 32, 96 al.
[3]) *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 468 et 469.). *Ep. ad Sen. Pol.* (ib. III. 1a. 64.). *Forma ac rat. min. Lond.* p. 37, 96, 321 al.
[4]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 37, 400, al.
[5]) *Ep. ad Christ.* III. (*Scr. ant.* II. 2a. 687.).
[6]) *Cat. Lond. mai.* p. 88. Cf. *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 73, 74, 76.). *Ep. ad Bull.* (ib. IV. 1a. 468, 469.).
[7]) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* II. 1a. 64.).
[8]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 2. [9]) *Cat. Lond. mai.* p. 88.
[10]) Ib. [11]) Ib.

rum, quos in margine annotavi, series facile evincet[1]). Est ea societas *libera*[2]), quatenus nulla in ea cuiuslibet dominatio ferri potest, sed omnes pares inter se plenissima gaudent libertate. Melius etiam huius societatis character perspicietur, si dixerimus eam esse *fraternam*[3]), inquantum fratris ad fratrum relatio socios inter se coniungit, et Ecclesia proprie »liberorum Dei »Societas[4])" dicenda est. Qui Ecclesiae praesunt, etsi muneris ratione habita verbi divini ministri dicuntur[5]), respectu Ecclesiae »societatis ministri[6])" vocantur, neque in se, tanquam sacrorum antistites auctoritatem omnem ac potestatem conferre debent, sed ipsis quoque sociis «sua remaneat *potestas*[7])," »sua »quoque *officia*[8])" relinquantur, nam eo potissimum nomine Papismum incus(at) à Lasco, quod »institutum a Christo Do»mino observatumque ab Apostolis, ac nobis omnibus commen»datum Ecclesiastici totius ministerii ordinem, inducto novo »quodam Sacerdotii sui genere supprimere conatus sit[9])." Libera ea atque fraterna societas alibi quoque non tam multum diverso sensu dicitur »Coetus fidelium[10])," »corpus fidelium[11])," sive »libera civitas[12])," quae denominationes *societatis* characterum egregie confirmare mihi videntur. Omnis denique sequens disquisitio abunde id, quod contendimus, attestabitur, e Lasci mente Ecclesiam Christi liberam, eamque fraternam societatem esse hominum, »die alle dinck met Christo ende alle gauen »Gods onder den anderen door de liefde ghemeyne hebben[13])."

---

1) *Purg. min. Francof.* p. 27. *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1ª. 451.). *Ep. ad Edw.* VI. (praem. *Tract. de Sacram.* p. 14.). *Forma ac rat. min. Lond.* p. 186, 275, 279, 285, 288, 357, 394, 399, 400, 401, 501, al. *Tract. de Sacram.* p. 68ª, 91ᵇ, 128ª.

2) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 109.

3) Ib. p. 285. 4) Ib. p. 167, 357.

5) *Conf. fidei* p. 19. (HERINGA. p. 266.).

6) *Conf. fidei* p. 21ª. (HERINGA. p. 269.) et p. 21ᵇ. (ib. p. 270.).

7) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 108, 285, 334.

8) Ib. p. 289: „Sunt tamen plebis quoque in Ecclesia officia."

9) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1ª. 114, 115.).

10) *Conf. fidei* p. 2ª. (HERINGA. 232.), et 6ª. (HERINGA 239.). *Forma ac rat. min. Lond.* p. 390.

11) *Forma ac rat. min. Lond.* 86, 288, 511, 527, 608, 614. *Tract. de Sacram.* 62ª. *Ep. ad Christ.* III. (*Scr. ant.* II. 2ª. 685.).

12) *Ep. ad Edw.* VI. (praem. *Tract. de Sacram.* p. 14.).

13) *Cat. Lond. mai.* p. 76.

§ 7. De Ecclesiae vinculo.

Recte vidit à Lasco societatis cuiusdam vinculum non esse in externa quadam sociorum convenientia quaerendum, sed vero in principio, unde similis animi impetus singulis sociis inditus est. Istiusmodi autem consociationis in Ecclesia vinculum in ipso Iesu Christo deprehendisse sibi videtur, quare totidem verbis testatur: »Christus est, qui spiritus sui vinculo nos conso»ciat, ut omissis nostris affectibus, posthabitaque nostra (quae »nulla est) gloria, illum solum unanimiter coniunctis simul vo»tis nostris omnibus collaudemus, testemurque nostra ipsorum »coniunctione Deum vero esse Deum nostrum et nos populum »illius [1]." Ubi contra Ecclesiam sub aedificii imagine sibi cogitat, fundamentum potius, quam vinculum Ecclesiae premere solet, quoniam variae aedificii partes non tam caemento ac retinaculis continentur, quam ipso potius fundamento, quod si in lubrico positum collabitur, et ipsum aedificium corruat necesse est. Iam quod saepius ad Pauli instar confitetur: «Credo Pro»phetarum atque Apostolorum doctrinam esse unicum verum »atque absolutissimum fundamentum et stabilimentum Catholi»cae Ecclesiae [2]," quod »Christus ipsemet Dominus solam eam »unicum suae Ecclesiae fundamentum et stabilimentum esse vo»luit [3]," ab iis, quae in initio huius § posuimus, non tantum differt, quantum primo obtutu videtur. Etenim doctrina illa summatim nihil aliud esse censet, »dan de openbaer belijdin»ghe syner leeringhe; dewelcke Petrus wt den name van allen »Apostelen ende oock der gantschen Ghemeynten ghedaen »heeft, ende dewelcke Christus selve betuyght den grondt zy»ner kercke te wesen [4]," — vel brevius etiam: nihil aliud doctrina ei valet, quam ipsum Euangelium, quo intelligit »lae»tum nuntium de certa peccatorum remissione per meritum sum»mum pontificis nostri Christi Iesu [5]." Cuius »Euangelii" quum »ipse Christus scopus est ac finis [6]," ille, qui »basis

---

1) *Tract. de Sacram.* p. 141b.

2) *Forma. ac rat. min. Lond.* p. 32.

3) *Purg. min. Francof.* p. 27. Cf. *Tract. de Sacram.* praef. p. 9. *Ep. ad Sigism. Pol. reg.* (in *Forma ac rat. min. Lond.* p. 76.). in ipso libello p. 307. *Ep. ad Dav. Georg.* (*Scr. ant.* II. 2a. 509.).

4) *Conf. fidei* p. 6. (HERINGA. 239.). 5) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 179.

6) *Ep. ad Coss. et Sen. Hamb.* (*Simpl. ac fid. narr.* p. 223.).

»medium et caput simul salutis est[7])," Ecclesiae quoque »summus lapis angularis[8])," est habendus, qua totum aedificium innititur, vel etiam »Ecclesiae fundamentum compactum[9])".

§ 8. *Tituli, quibus Ecclesia ornatur.*

Quum inter Ecclesiae titulos agmen ducere solet praedicatum, quo solam eam esse salvificam confitentur fideles, nobis quoque primo loco in hunc titulum inquirendum erit.

1°. *Sitne Ecclesiae participatio ad salutem necessaria?* Si quid video, negando ad hanc quaestionem e mente Lasci respondendum erit. Subinde quidem in scriptis eius in locos quosdam incidimus, qui necessarium Ecclesiae participationi cum salute nexum interponere videntur, sunt tamen ii haud tam magno numero, et paullum diversam plerumque interpretationem admittunt, et maluimus praeterea de Lasci in ea re sententia in istis edoceri locis, ubi de industria hanc rem tractavit, quam ubi alia agens obiter vulgatis potius et usu tritis dicendi formulis utitur, quam clare mentem suam explicat. Ubi e. g. dicit: »Extra illud Christi corpus *nulla est certa salutis spes*, divinis »promissionibus proposita [1])," quis non videt, aliquid saltem inter »certam salutis spem" et »ipsam salutem" interesse. Similiter quoque in his verbis: »Si salutem Ethnicis tribuimus, »profecto neque a Christo (extra quem nulla salus) eos, neque »ab Eius Ecclesia excludere possumus [2])," aliquem certe nexum Ecclesiae cum salute interponi libenter concedo; non tamen dicitur nullam extra *Ecclesiam*, sed nullam extra *Christum* esse salutem. Posset denique ab iis, qui veteri dogmati Lascum quoque favisse contenderent, eum adduci locum, ubi in Baptismi liturgica formula sic pergit: »want dat behoort der Kercke toe, »dat sy des Heeren lidmaten van de lidmaten des Duyvels onderscheydt [3]);" nisi ipse à Lasco ea in alio loco in hunc interpretatus esset modum: »Fieri sane non posse, quin in Satanae Ecclesia simus, si eo loco versemur, ubi Christi Ecclesiam

---

7) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 33. 8) Ib. p. 44. Cf. ib. p. 50.
9) *Ep. ad Dav. Georg.* (*Scr. ant.* II. 2ª. 509.).
1) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 342.
2) *Ep. ad Melanchth.* (*Scr. ant.* II. 2ª. 499.). Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 343.
3) *Cat. Lond. mai.* p. 102. Cf. *Forma ac ratio min. Lond.* p. 166, 501, 502.

»institutam esse constet, et nos interim illi adiungere recusé»mus. ... Qui igitur Christiani et vocari vere et esse etiam »volunt, horum sane officium esse, ut dum eo loco versantur, »ubi Ecclesiam Christi nomine collectam esse sciant, illi sese »protinus adiungant [4]." De iis igitur, qui in locis versantur, ubi istiusmodi Ecclesia non exstat, etsi certum nihil affirmare ausit, quam altam tamen foverit spem, non prorsus esse de eorum salute desperandum, egregie haec eius verba nos docent: »Ego nec a philosophia tam alienus sum, nec adeo prorsus rudis »omnium disputationum, ut non de religionum varietate, deque »illa infinita multitudine hominum extra Ecclesiam saepe cogi»tem. *Quid absurdius videtur, quam tanta agmina etiam virtute »excellentium condita esse a Deo ad aeternam miseriam* [5]." Quae verba, quum magnopere Melanchthoni displicuerant, defendere conatus est à Lasco in epistola apologetica ad eundem data, in qua prae cetetis haec notatu digna leguntur: »Causam offensio»nis eam fuisse intelligo, quod in illis visus tibi sim, tribuere »salutem infantibus omnium Ethnicorum. Ego vero, mi Phi»lippe! etsi non prorsus caream scripturae testimoniis, quibus »id mihi tueri posse videor, et puto id ad Christi gloriam im»primis pertinere, ut illius beneficium quam latissime patere ex »verbo Dei doceamus cett. [6]." Quae verba liberaliorem sane mentis directionem spirant, quam ut solius salvificae Ecclesiae dogma iure Lasco obtrudi posset. Quodsi tamen in vicinis diserte nobis testatur: »Tantum abest, ut salutis promissionem »ad coetum impiorum transferre voluerim [7]," à Lasco nobis argumento est, quam grave sit ac difficile inveteratum excutere errorem, qui per multum saeculorum decursum tam altas in universo humano genere egit radices et communi omnium applausu approbari solet.

Ecclesiam porro *unam* esse, *sanctam* atque *catholicam* solemniter noster confitetur in eo Symboli articulo, qui est de Ecclesia [8], et quem sit legit: »Credo unam sanctam Ecclesiam Ca»tholicam [9]," (omissa praepositione *in* et praedicato *Apostolica*).

---

[4]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 166. [5]) *Ep. ad N. N.* (*Scr. ant.* II. 1ª. 489.).

[6]) *Ep. ad Melanchth.* (ib. II. 1ª. 498.).

[7]) Ib. p. 500. Cf. *Ep. ad N. N.* (*Scr. ant.* II. 1ª. 499.). *Forma ac rat. min. Lond.* p. 343.

[8]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 94, 95, 174, 629.

[9]) Ib. 73, 176. Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 76.

Continet illius articuli interpretatio haec duo: 1°. »credo Chri»stum habuisse ab ipso mundi initio, habereque etiamnunc et »usque ad saeculi consummationem habiturum esse coetum fide»lium," et 2°. »in intimo pectore sentio et agnosco, me quo»que huius Ecclesiae membrum esse [10])". Ecclesia igitur:

2°. *una* est, quare alacriter incitat fideles, ut defendant ac promoveant »de waerachtige Kercke Gods, .. *die nochtans maer* »*eene mach wesen* [11])," et paullo inferius iterum premit »de »*eenighe* waerachtighe Kercke Gods [12]);" atque »consultum cu»p(it) *unitati Ecclesiae*, plus satis alioqui hactenus perturbatae [13])." Ecclesia »*unum corpus compactorum*, non autem dissidentium »quoquo modo membrorum esse oportet [14])."

3°. Ecclesia *nondum sancta* est, nam affirmat noster »non »posse esse ullam in terris *sine peccato* Ecclesiam, et omnes, »qui talem esse somniant, advers(atur) [15])." Idealis vero Ecclesia *sancta* est, quoniam »gheheylight is doer den heylighen »gheest [16])," »de ghemeenscap is der heylighen [17])," et »reyn »is ende heylich door het ghelooue in Christum haer hooft »ende bruydegom, want gheen sonde noch onreynicheyt kan »in Christo den Sone Gods sijn [18])."

4°. Ecclesia est *catholica*, »want het Euangelie werdt allen »menschen verkondicht, ghelijck het oock allen menschen in »hem begrijpt [19])," et »Ecclesia neque temporibus ullis neque »locis circumscribi potest [20])." »Deus (enim) ita nostrum in »nostris peccatis misertus est, ut neminem omnino, (quod in se »est), a sua misericordia excludat [21])."

§ 9. *Notae, quibus vera Ecclesia a falsa dignoscatur.*

Notarum, quibus a falsa vera Ecclesia dignoscatur, triplicem à Lasco in scriptis suis seriem nobis suppeditat:

---

10) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 176. Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 76.

11) *Conf. fidei* p. 2. (HERINGA. p. 232.). 12) In vicinis.

13) *Ep. ad Dav. Georg.* (*Scr. ant.* II. 1a. 506.).

14) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 164. Cf. ib. p. 547; *Purg. min. Francof.* p. 10, 26, 48.

15) *Adm. ad Conc. Noviomagi.* (*Simpl. ac fid. narr.* p. 61.). Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 183, 346 et *Cat. Lond. mai.* p. 77, 79.

16) *Cat. Lond mai.* p. 76. 17) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 177.

18) *Cat. Lond. mai.* p. 79. 19) Ib. p. 80.

20) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 100.). Cf. *Conf. fidei* p. 8. (HERINGA. p. 244.). 21) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 375.

»solus habet promissam sibi verbo Dei (quod mentiri non po»test) Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, car»nis gloriosam resurrectionem et vitam aeternam [6]." Omnes igitur »in hoc tali coetu constituti, certi sunt, omnia Christi »Domini beneficia ad se perinde atque ad alios sanctos omnes, »in coelo et in terra pertinere. Deinde certa fiducia semper »obtinent indubitatam omnium peccatorum remissionem, in om»ni sua per nomen Christi instituta invocatione. Postremo, et»si se in mundo hoc contemptos atque invisos modis omnibus »esse videant, certi sunt tamen se gloriose olim resurrecturos »esse... ad vitam et gloriam aeternam [7])," propterea, quod »hi »omnes delatam sibi habent gratuito... communionem cum »Christo Domino, quatenus membra sunt suae Ecclesiae [8])." Ut verbo dicam, »Spiritus sanctus efficax reddit institutum a »Christo ministerium ad salutem [9])," »ut fructificet in omni »pietate, iustitia et scanctitate [10])."

§ 11. *Perfectissimum Ecclesiae exemplar.*

Quum certis s. scripturae testimoniis constat, »Christum suam »Ecclesiam habiturum esse usque ad consummationem dierum [1])," quam inter breve temporis spatium exspectabat [2]), operae pretium erit paucissimis in fine huius capitis inquirere, quodnam fuerit e mente Lasci Ecclesiae perfectum, ad quod suas Ecclesiae instituere conatus est. Nullum autem aptius iuxta ac dilucidius huic quaestioni responsum dari poterit, quam si continuum descripserimus locum, ubi fervidissimas preces, quas quovis die Dominico ab initio sacrae concionis coram tota Ecclesia fundendas ad certam formulam in hunc modum conconcepit: »Oramus te sanctissime Pater, pro catholica filii tui, »toto terrarum orbe diffusa Ecclesia, in qua vera ac salutaris »filii tui doctrina docetur et observatur. Arceto ab illa, quae»sumus, falsos omnes pastores ac doctores: feras illas noxias,

---

6) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 177. 7) Ib. p. 177 et 178.
8) *Tract. de Sacram.* p. 84a. 9) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 598.
10) Ib. p. 2.
1) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 176. Cf. *Purg. min. Francof.* p. 52. *Cat. Lond. mai.* p. 76. *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 100.). *Conf. fidei* p. 4. (HERINGA. p. 236.) et 8 (ib. p. 244.).
2) *Cat. Lond. mai.* p. 54, 76. *Ep. ad Hardenb.* (*Scr. ant.* II. 1a. 519, 520.).

»quae vineam tuam depascuntur et conculcant. Et extrudito »in illam pios, fideles ac diligentes operarios,... qui non suam »ipsorum, sed tuam solius quaerant gloriam et Ecclesiae tuae »aedificationem [3]).... Peculiariter vero te oramus, Pater indul»gentissime, pro nostris hic Peregrinorum Ecclesiis, ut, quem»admodum illas admirabili tua bonitate plantare voluisti, ita »eas favore tuo prosequi deinceps etiam velis; ut ab omni ty»rannide mundi huius falsisque doctrinis omnibus... vindicen»tur. Agnoscimus ineffabile tuum in illis plantandis beneficium..., »sed quia... ea est nostrum omnium corruptela, ut ne cogi»tare quidem boni aliquid, nedum fructus ullos te dignos pro»ferre ex nobis ipsi possimus, supplices te precamur, omnipo»tens Pater, ut ipse in nobis omnibus per Spiritum sanctum »tuum, fructus bonos admirabili tua plantatione dignos pro»ducere digneris. Nempe ut plantatae nostrae hic Ecclesiae »assidua incrementa sua habeant in omni pietate et vera ani»morum concordia [4])... Pro omnibus populis tuam Maiestatem »supplices precamur, qui vocem filii tui adhuc non potuerunt »audire,... ut eos omnes ubilibet alios... ad veram filii tui »lucem clementer deducere digneris; ut omnes in unum ovile »ipsius collecti per tuam gratuitam misericordiam te verum Deum »nostrum laudare unanimiter tibique genua nostra flectere in »eodem ipso filio tuo pariter omnes possimus [5])... Amen," Similiter denique a Christo enixe deprecatur, »ut nos omnes Spi»ritus sui vinculo consociet, ut omissis nostris affectibus, post»habitaque nostra gloria, Illum solum unanimiter, coniunctis »simul votis nostris omnibus collaudemus [6])."

CONCLUSIO CAPITIS II.

Praeter eam, quae in mundo obvia oculis conspiciendam sese praebet, nullam aliam Ecclesiam cogitare fas est. Haec autem Ecclesia filiorum Dei s o c i e t a s *est libera atque fraterna, cuius*

---

3) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 74. 4) Ib. p. 76. 5) Ib. p. 78, 79.

6) *Tract. de Sacram.* p. 141b. Cf. ib. 129. *Cat. Lond. mai.* p. 27, 73. *Conf. fidei* p. 18. (HERINGA. p. 204.). *Ep. dedic.* in *Forma ac rat. min. Lond.* p. 79, operis p. 48, 175. *Series coll. cum.* BRENTIO. (MEINERS. *Oostfr. Kerkgesch.* I. 628.).

socii Christi spiritu, tanquam communi inter se vinculo coniuncti, Euangelicae doctrinae consensum tueri, et omnem pietatem et iustitiam fraterno inter se amore promovere debent, ut et ipsi per Christi communionis efficaciam remissionis peccatorum vitaeque aeternae reddantur participes, et universum aliquando humanum genus Dei beneficio ab exitio salvetur. Qui rite ordinatae istiusmodi Ecclesiae nomen dare praefracte recuset, a certa salutis spe sponte sese excludit, quamvis externae Ecclesiae communionis participatio per se ad salutem necessaria non sit. Sancta olim Ecclesia fiet, nondum sancta est. Una est, catholica et perpetua, et a falsis Ecclesiis dignoscitur, tum vetustate et fide, cum fidei in vita confessione coniuncta, tum divina sua origine, e Christi institutione, qualem Apostolorum et Euangelistarum scripta eam nobis exhibent, probanda, tum verbi denique, Sacramentorum et disciplinae Ecclesiasticae ministerio.

CAPUT III.

DE VIA AC RATIONE, QUIBUS ECCLESIA OPERATUR.

Hic tantum agendum nobis erit de externis mediis ad salutem, quae Deus veluti thesaurum quemdam Ecclesiae suae concessit, quorum sedulo usu in dies magis suum adipiscatur finem. Nimirum »Christus in Ecclesia sua reliquit divinam suam doc»trinam suasque institutiones, quas veluti colophonem quendam »omnis suae doctrinae pignusque extremum suorum in nos be»neficiorum" Ecclesiae suae dedit [1]). Institutiones autem, quas in Ecclesia ordinavit Christus verbi sunt ministerium, cultus celebratio, sacramentorum administratio et disciplinae Ecclesiasticae usus [2]). Ubi quaeritur ergo in Catechismo: »Hoe geschiedt »dese opbouwinghe .. der Christelycke Kercke?" respondendum docet à Lasco: »Door de reyne leer, door 't recht gebruyck

[1]) *Ep. ad Edw.* VI. praem. *Tract. de Sacram.* p. 2.

[2]) *Purg. min. Francof.* p. 22. *Tract. de Sacram.* p. 8b. 18b. *Conf. fidei* p. 19. (HERINGA. p. 366.).

»der Sacramenten, ende andere Kerckstichtinghe ende regi»ment [3]." Qua in re tamen probe cavendum monet, ne externis hisce ad salutem mediis in se nimiam adscribamus virtutem; nam in iis »Ipsummet Deum per Spiritum Sctum nobis assi»stere atque Ipsummet per se suumque Ipsius opus nobis coope»rari virtute sua divina [4]." »Ja, het is al ganschelick des Hey»lighen Gheests eygen werck, .. maer hy richt datselue wt »neven dat woordt ende ghebruyck der Sacramenten [5]." Quodsi »virtus Sp. Scti in nostro ministerio sese exserit, aut sane opus »ipsum ministri semper et ubique efficax erit, aut unio illa *Ego »vobiscum* certa non erit [6]." Ut igitur ordine Ecclesiae institutiones lustremus, et accuratius, qua via operetur ac ratione, cognoscamus, serie dicendum erit 1°. *de verbi ministerio*, 2°. *de cultus celebratione*, 3°. *de administratione sacramentorum*, 4°. denique *de usu disciplinae Ecclesiasticae.*

§ 1. *Verbi ministerium.*

a. *Verbum Divinum.*

Verbi Dei »testimonio nobis revelantur mysteria omnia di»vinae voluntatis [1]". Ubi ergo quaeritur: »Leert ons dan de »schrift ghenouchlick van Godt?" respondendum est: »Ja sy »ende al wat ons van noode is om de volkomen salicheyt ende »dat eewich leuen te verkrijghen [2]," »so dat se gheen ander »kennesschap ofte ondersouckinghe Gods... neven haer lijdt [3]," quoniam solo »verbo Dei continentur ea omnia, quaecunque »ullo modo sint necessaria ad salutem [4]." — Proditur verbum Dei »scripturis sacris [5]", quas inter et ipsum Dei verbum probe saepe distinguit, e. g. in his verbis: »ad elevandam scrip»turae sanctae auctoritatem, *verbique in illa divini* fidem, al [6]."

---

3) *Cat. Lond. mai.* p. 76. 4) *Tract. de Sacram.* p. 124b.
5) *Cat. Lond. mai.* p. 94.
6) *Tract. de Sacram.* p. 124b. Cf. *de missa papali.* p. 10. *Ep. ad Bull. et Pellic.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 464.).
1) *Purg. min. Francof.* p. 22. 2) *Cat. Lond. mai.* p. 14.
3) *Conf. fidei.* p. 14a (HERINGA 255.). Cf. ib. p. 13 (ib. 254.) et 14b (ib. 256.). *De incarnatione Christi.* B. III. *a. De missa papali.* p. 4.
4) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 32. Cf. *Conf. fidei* (HERINGA 247) *Cat. Lond. mai.* p. 13, 14. 5) *Ep. ad Sen. Pol.* (*scr. ant.* II. 1a. 106.)
6) *Ep. ad Sigism.* praem. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 3.

Nonnisi rarissime praeterea ad sacram scripturam provocare solet, sed fere semper ad »Euangelium [7]," sive »ad prophetarum »Apostolorumque doctrinam [8])." Canonem ceteroquin vulgatum recipit [9]), et Epistolam ad Hebraeos Paulo auctori tribuit [10]). — Magnum satis discrimen inter vetus ac novum testamentum statuit, inter »lucem multo magis splendidam Euangelii [11])" et »umbras typicas in vetere Ecclesia [12])." In v. t. unice fere »prophetarum doctrinam [13])" nobis commendat, quatenus sc. »met de leere Christi overeenkomt [14])". In omni tamen scriptura longe prae ceteris eminet Euangelium, quod ipsi verbo Dei non semel substituitur [15]). — Huius autem verbi divini au»ctoritati... omnia nostra subiicienda sunt [16])," et omnes humanas in divinis cogitationes »tenebras esse negare non possu»mus, quae verbo Dei approbari nequeunt [17])". Quod tamen ne ita accipias, quasi esset promiscue ad hunc illumve scripturae locum provocandum. S. scriptura unum totum est, et non singuli igitur loci seorsim, sed totius »*scripturae usus*" observari debet [18]), et »ubique unanimis scripturae consensus reti»neri [19])." Patet enim s. scripturae »verba, praeter mentem »Christi exposita, non esse verbum Dei, quemadmodum in »Christi Domini tentatione verba a Satana e media scriptura »desumta, non sane Dei sed Satanae potius verba erant, eo

---

7) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 179. *Tract. de Sacram.* p. 21b. *Ep. ad Dav. Georg.* (*Scr. ant.* II. 1a. 505.)

8) *Conf. fidei* p. 3 (HERINGA 234.). *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. p. 93, 76, 76, 78, 96, al.). *Purgat. min Francof.* p. 27. *Tract. de Sacram.* praef. 9. *Ep. ad Sigism.* praem. *Form. ac rat. min. Lond.* p. 76. Contra *Scripturam* citat e. g. *Ep. ad Drus. Syssinghe* (II. 1a. 523.). Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 74.

9) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 104.).

10) Cf. *Conf. fidei* p. 11. (HERINGA 249.) „...klaerlick van Paulo,in den Sent„brief aan de Hebreën uitghelecht...

11) *Tract. de Sacram.* p. 65b, cf. ib. 60a, 72a, 72b. 12) Ib.

13) *Conf. fidei* p. 3 (HERINGA 233.). *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 103, 4.). *Coll. c. Noviomago* (*simpl. ac fid. narr.* p. 78.).

14) *Conf. fidei* p. 3. (HERINGA. 233.). *De missa papali* p. 4, 5. *Ep. dedic. in Forma ac rat. min. Lond.* 16, 18.

15) Cf. notam 7. et *Tract. de Sacram.* p. 21b. 32b. et *Forma ac rat min. Lond.* . 166. 16) *Suppl. ad reg. Dan.* (*Simpl. ac fide narr.* p. 32.).

17) *Tractat. de Sacram.* p. 103a.

18) Ib. p. 29b. *De missa papali* p. 3. *Ep. ad Pell. et Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 458.). *Ep. ad Annam Comit.* (*Scr. ant.* II. 1a. 495.).

19) *Tract. de Sacram.* p. 107a. Cf. ib. praef. p. 9. *Ep. ad Ord. Pol.* (*Scr. ant.* II. 2a. 718.).

»quod praeter mentem Dei exponerentur [20]).“ Sana autem instituta interpretatione sponte summa Dei voluntas e s. scriptura nobis prodibit propter egregiam eius »*perspicuitatem*, non enim »cogitandum est, Deum ita nobis obscure aut ambigue litteris »sacris mandasse, quae ad salutem nostram essent necessaria, »ut non clare ac dilucide ea prodiderit, utque non facile ab »omnibus possent percipi [21]).“

b. *Verbi ministerium.* Primarium in verbi ministerio locum praedicatio occupat, quae est »divina Ecclesiae ordinatio »instituta ad eius aedificationem [22]),“ cuius praecipua pars in eo consistit, ut »quemadmodum verbi divini, non autem hu»manarum traditionum ministerium est, ita pura etiam atque »incorrupta doctrina verbi Dei Ecclesiae eius ope tradatur [23]). »Graviter ergo peccant, qui verbi ministerium in Ecclesia con»temnunt, rident et traducunt [24]); modo ipsi pastores id curae sibi cordique habeant, ut doctrinae, quam populo annuntiant, »veritatem totius scripturae consensui approbare“ numquam negligant [25]). Unitati quoque et unanimi cum fratribus suis consensui religiose consulant [26]), quoniam »nusquam aliunde plus »imminere posse periculi constat in omnibus Ecclesiis, quam ex »doctrinae discidiis: nihil sane aeque etiam utile esse potest, »quam ut unanimis doctrinae consensus in illis retineatur [27]).“ Nec tamen propter minutissimas res et futiles quisquillias illico est in certamen descendendum cum iis, qui diversam opinionem tuentur, nam »scindendae Ecclesiae non sunt propter ea, quae »nos ex se neque digniores, neque indigniores coram Deo fa»cere possunt [28]).“ Sic quoque in Confessione fidei, quam edidit, doctrinae summam, de qua nonnisi una, concors et consentiens in Ecclesia vox audiri debet, ad solemnem Petri

---

20) *Ep. ad Hardenb.* (*Scr. ant.* II. 2a. 637.).

21) *Tract. de Sacram.* p. 128b. Cf. ib. p. 110b.

22) *Forma ac rat. min. Lond.* p. η et 144. 23) Ib. p. 2. 24) Ib. p. ϑ.

25) *Adm. in Conc. Noviom.* (*Simpl. ac fid. narr.* p. 53.). Cf. *Tract. de Sacram.* praef. 11.

26) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 19, 25, 84, 164, 287, 294, 368 al. *Tractat. de Sacram.* (*Ep. ad Edw.* VI. p. 20. praef. 6. in ipso lib.) 67a, 114a 128a. *Conf. fidei* p. 5. (HERINGA. 237.). *De incarnatione Christi* p. 2, 4. *Ep. ad Pellic.* (*Scr. ant.* II. 1a. 532.). *Ep. ad Dav. Georg.* (ib. II. 1a. 506) *Ep. ad Bull.* (ib. IV. 1a. 451 et 453) *Ep. ad Sen. Pol.* (ib. IV. 1a. 470.).

27) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 107. 28) Ib. p. 156.

Apostoli de Christo confessione revocat[29]). Ne autem ex ignorantia doctrinalis dissensio caput suum pestiferum inter Ecclesiae socios extollat, continuo »fideles rogentur, num aliqua in parte »doctrinae haereant, et si quae proferant, explicentur[30])." Brevis porro doctrinae Ecclesiae conspectus, in Catechismi formam redacti, »usum in Christi Ecclesia perquam necessarium[31])" censet, tanquam »optimum purioris Ecclesiae institutum[32])." Ne tamen verbi divini auctoritas detrimentum capiat, numquam pro concione Catechismus exponatur, nisi adhibito simul aliquo Euangelii loco, quo Catechismi materies veluti certo fundamento innitatur[33]), et omnes in universo argumentationis partes »in »scripturis verae commonstrentur[34])." Duplici denique forma talis Catechismus concipiatur, *minori* alter, in quo »praecipua »tantum capita quaedam religionis et quidem breviter exponun»tur, ut a pueris commode edisci possint[35])," alter *maiori* forma, »qui pleniorem continet capitum religionis propemodum »totius explicationem[36])" in provectiorum usum atque Seniorum imprimis[37]). Tandem ad verbi ministerium pertinet Prophetiarum institutio, sive »ministrorum examinatio[38])," quae Senioribus incumbit, Diaconis, et iis, qui sunt e reliquo coetu »ad id designati[39])." In istiusmodi Prophetia »excutiuntur »et approbantur per mutuam locorum e scripturis collationem »omnia, quae in totius hebdomadis concionibus videri poterant, »vel non recte, vel non ad plenum omnino fuisse explicata, »aut qualemcunque tandem in animis auditorum dubitationem »reliquissent[40]);" in quem finem »omnes qui sunt in Ecclesia »omnes suas dubitationes, aut obiectiones designatis ad id viris »sive verbis, sive scripto exponant," ut sic demum »toti Ec»clesiae libertas sua constet[41])." Altera denique doctiorum in Ecclesia Prophetia quavis hebdomade habeatur, in qua latino sermone docte et sollerter in genuinum scripturae sensum inquiratur[42]).

---

[29]) *Conf. fidei*, p. 5b. Cf. *Adm. in conc. Noviom.* (*simpl ac fid. narr.* p. 71.).
[30]) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 185. [31]) Ib. p. 89.
[32]) Ib. p. 88. [33]) Ib. p. 99. [34]) Ib. [35]) Ib. p. 98.
[36]) Ib. [37]) Ib. [38]) Ib. p. 108. [39]) Ib.
[40]) Ib. p. 107. [41]) Ib. p. 109.
[42]) Ib. p. 114—116. De missione Cf. *Ep. ad. N. N.* (*Scr. ant.* II. 1a. 490.). *Ep. ad Mel.* (ib. II. 1a. 498—502.). *Cat. Lond. mai.* p. 88. et *Cat. Emd. mai.* qu. 88.

§ 2. *Cultus celebratio.*

»Cultus divinus, in quo magna pietatis pars [1])" conspicitur, ea ratione a nobis celebrari debet, ut »in spiritu duntaxat et »veritate colamus Eum atque adoremus [2])," adeoque »consistit »potissimum in interno nostri cordis motu ad resipiscentiam [3])." Est tamen externus quoque Dei in Ecclesia sua cultus, quo solemniter celebrando non leviter Dei gloriam promovere possunt fideles, si »omnes sc. Eius Ecclesiasticas institutiones diligen- »ter observent [4])." Modo purus ille sit [5]), »ex verbi Dei auc- »toritate institutus [6])," adeo »ut pro vetitis habeantur in cultu »Dei omnia, de quibus nihil praecepit" Ipse [7]). Precibus potissimum constat, hymnorum concentu, dierum festorum celebratione, et observatione ieiuniorum, de quibus singulis igitur verbo dicendum erit.

a. *Preces* in nomine Christi ad Patrem [8]), vel etiam ad ipsum Christum [9]), in sacris concionibus publice fundere iubet, et praesertim, »quando, aut insigne aliquod benificium Ecclesia acce- »pit, aut publica aliqua necessitate premitur [10])," solemniter peculiares easque fervidissimas preces ad divinam maiestatem Ecclesia mittat, »priusquam consuetae aliae preces publicae in- »stituantur [11])." In omni autem precatione praecipuum locum »peccatorum confessio" occupet [12]), et pro vivis [13]) (cumprimis si qui aegrotent [14]),) apud Deum intercessio numquam omittatur. »Precabitur denique auscultante Ecclesia et in genua procum- »bente [15]).

b. *Hymnorum concentum* valde Ecclesiae aedificationi, et cordis ad Dei sublationi inservire opinatur. Ne autem sensuum titillationem potius, quam Dei gloriam quaerere videatur, »tanta

---

1) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 508, 564. 2) Ib. p. 171.

3) Ib. p. 569. Cf. ib. p. 79. *Cat. Lond. mai.* p. 13, 16, 20.

4) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 171. 5) Ib. p. 565 et 647.

6) *Tractat. de Sacram.* p. 19b. Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 22. *Ep. ad Cranm.* (*Scr. ant.* II. 2a. 662) *Ep. ad Sen. Pol.* (ib. III. 1a. 65.). *Ep. dedic.* in *Forma ac rat. min. Lond.* p. 2, 3, 10, 11.

7) *Ep. ad Cranm.* (*Scr. ant.* II. 2a. 662.). 8) *Cat. Lond. mai.* p. 86.

9) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 36, 45, 52, 398, 527.

10) Ib. p. ♂. Cf. ib. 547. 11) Ib. p. 13. Cf. ib. p. 15. 12) Ib. p. 68.

13) *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. no. LXIX. LXX. LXXI et LXXII. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 31, 36, 45, 52, 133, 247.

14) *Forma ac rat. min. Lond.* 632. 15) Ib. p. 45. Cf. ib. p. 143.

»semper moderatione canendum est, ut omnia, quae canuntur, »intelligi ab omnibus facile queant [16]." Quare vehementer Romanensium cantum improbat in quorum conventibus si quando Psalmi canantur, »so beneemt het krieschen der zangheren, het »bolderen, lullen, tournoyen ende rammelen der onverstandelic»ker worden het gantze verstandt dess, dat gezonghen werdt: »also dat waarlick schijnt, dat de Psalmen daer veel meer ghe»donnert ende gheblaett werden, dan ghezonghen, verre is het »dat men zegghen mochte, ghelezen of wtghesproken [17]." Praeter Psalmos Davidis alia quoque carmina sacra admittit [18].

c. *Dies festi.* »Die Dominico ab operibus cessandum est", et sedulo Dei cultus observandus [19]. Reliquorum dierum festorum celebrationi Lascum invidisse potius, quam ex animi sententia favisse, suspicari licet ex his eius verbis: »si quis dies festus »incidat, cuius observatio hic nondum aboleri potuit, cett. [20]."

a. *Ieiunia.* »Cum Ecclesia ministris opus habet, indicitur pu»blicum ieiunium toti Ecclesiae, constituiturque dies certus per »Seniores [21]." Illo autem die »post publicas preces domum »reversi sobrie ac frugaliter vivant fideles, ac sine cibo ac potu »ad vesperam usque (quatenus id valetudo cuiusque permittit) »diem illum transigant [22]". Ne tamen fiat ex opere operato, leniter potius ad eius observationem fideles exhortentur ministri, quam ut pro auctoritate sua imperiose eam exigant [23].

De reliquis ritibus sacris nihil certum praescripsit, et in universo »caeremoniarum eandem formam non magnopere requi»rit [24]," quod »varietas quaedam rituum utilis quidem est adver»sus Pharesaïcam caeremoniarum servitutem [25]", et »sua cuique

---

16) Ib. p. 632.

17) *De missa papali* p. 18. De organorum usu nusquam apud cum fit mentio. Nunc etiam supersunt 1°. 26 *Psalmen ende ander ghèsanghen, die men in de Duydtsche Ghemeente te Londen was ghebruyckende.* Lond. 4 Apr. 1557 et Emdae bij Gellium Ctemat. 28 Jan. 1558. 2°. *Andere 26 Psalmen Davidis nieuwelick toeghemaeckt bij denselven autheur J. U.* (Utenhoven) *ende nu in drucke wtghegheuen, ten nutte der Nederlandtscher Ghemeynten.* a°. 1559. s. l. et typogr. 3°. 11 *ander Psalmen door J. U. autheur der Duytscher Ghemeynten sangkboeck.* cett. a°. 1559. Emd. Gell. Ctem.

18) Cf. collectionem Psalmorum in nota 17. primo loco descriptam p. 65.

19) *Cat. Lond. mai.* p. 27, 29.

20) *Lorma ac rat. min. Loud.* p. 84. Cf. tamen ib. p. 58.

21) Ib. p. ∂. 22) Ib. p. 15. Cf. ib. p. 558.

23) Ib. p. 547, 556, 557. 24) *Ep. ad. Pellic.* (*Scr. ant.* II. 1ª. 532.).

25) *Ep. ad ord. Pol.* (Ib. II. 2ª. 720.).

»(praeterea) Ecclesiae libertas hoc in parte constare" debet [26]; modo »secundum verbum Dei ad aedificationen Ecclesiae instituantur [27])," neque nimis sint *operosae* [28]). Denique »semel »institutae, quoties id necessitas Ecclesiae, vel etiam utilitas »postulet, repurgentur, mutentur, atque corrigantur. Non enim »Ecclesia servit caeremoniis, sed caeremoniae Ecclesiae [29])."

§ 3. *Sacramentorum administratio.*

Primum de ipsis sacramentis, tum de eorum administratione, quaenam Lasci fuerit sententia, inquiremus.

A. SACRAMENTA.

a. *De Sacramentis in genere.* 1°. *Sacramentorum auctor.* »Deum sacramenta auctorem habent [1])," quia tamen inde a mundi origine Filio suo Ecclesiae imperium tradidit Deus, a Christo quoque instituta esse dicuntur [2]), »soewel in 't oude als int »nieuwe verbont [3])." »Sunt igitur sacramenta intra verbi divi»ni fines continenda ne humanis fallaciis profanentur [4]);" et diserta »requiruntur verbi Dei testimonia de signo, de my»sterio deque fine [5])." — 2°. *Definitio.* »Sacramentum est divina »ordinatio, quae, in ministerio Ecclesiastico posita sic ut ad »totam Ecclesiam ordine pertineat, habet suum signum visibile, »externam vid. a Domino institutam formam; et suum item in»visibile mysterium nostrae cum Domino nobis donatae commu»nionis in corpore ac sanguine ipsius, ut fidem illius animis »piorum infigat, totamque adeo Ecclesiam in fide atque perpe»tua illius functione ita obsignet, ut vere et ex animo in ea »conquiescat conscientiae suae iam pacificatae testimonio et affec»tuum innovatione illam officiorumque sedulitate exprimat et

---

26) *Ep. dedic.* in *Forma ac rat. min. Lond.* p. 24; ips. lib. p. 142.

27) II^a. *Suppl. ad reg. Dan.* (*simpl. ac fid. narr.* p. 44.). *Forma ac rat. min. Lond.* p. 140, 145.

28) *Ep. ad Pell.* (*Scr. ant.* II. 1^a. 532.). *Ep. ad ord. Pol.* (ib. II. 2^a. 719.). *Tract. de Sacram.* p. 103^a.

29) II^a. *Suppl. ad Dan. reg.* (o. l. p. 44.) *Ep. dedic.* in *Forma ac rat. min. Lond.* p. 23; ips. lib. p. 19, 20.

1) *Tract. de Sacram.* p. 81^a. Cf. ib. 3^b. 18^b.

2) Ib. p. 59^b. Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 179.

3) *Cat. Lond. mai.* p. 93. 4) *Tract. ac Sacram.* p. 19^b.

5) Ib. p. 63^b. Cf. ib. p. 17^a et *Purg. min. Francof.* p. 21.

»contestetur [6]).” Figurate sacramentum »verbum visibile dici »potest [7]).” — 3°. *Partes.* à Lasco »duas Sacramentorum partes »constituit, *alteram*, quae significat, *alteram*, qua significata in »animis nostris interna ac spirituali obsignatione confirman-»tur [8]);” et quae uno vocabulo »*signa* et *mysteria* sacramenti »dicuntur [9]).” — Sub »voce *signi* non quidem res eas, quae »institutae a Domino formae Sacramenti adhibentur, sed ex-»ternam potius actionem ipsam, ceu ceremoniam, intelligere »mavult [10]);” res autem corporeae, »quae Domini institutioni ad-»hibentur ex eius ordinatione, institutionis signa potius [11]) sive »*signorum elementa*” nuncuparet [12]). Est denique caeremonia sive externa actio signum »rei et praeteritae et praesentis et »futurae [13]).” — *β. Mysterium* sacramenti nihil aliud est, quam »donata nobis cum Christo Domino nostro communio [14]).” (»My-»sterii” vocabulum retinuit, quod usu tritum erat. Mallet tamen ei substituere »signatum,” »rem significabilem” sive »rem »designatam [15]).” — 4°. *Quot sint numero?* Quam dedit plenissimam noster sacramenti definitionem, »in duobus tantum cadere »potest [16]);” quare »duo tantum sacramenta in Christi Ecclesia »agnoscit [17]),” »want al sulcker sacramenten synder niet meer »dan twee: namelick de doop ende dat avontmael [18]),” atque igitur reiicienda sunt quinque illa, »quae a Papa Romano inter »septem sacramenta enumerari solent [19]).” — 5°. *Sacramentorum finis.* Quum »mysteria omnia divinae erga nos voluntatis ac »gratiae signis sacramentorum adumbrantur atque exhiben-»tur [20]),” sacramenta haud parum »fidei nostrae infirmitati »succurrunt [21]),” et, tamquam »obsignacula nostrae iusti-

---

[6]) *Tract. de Sacram.* p. 63a. Cf. ib. p. 16b, 18a. *Cat. Lond. mai.* p. 93. *Cat. Emd. mai.* qu. 53. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 179.

[7]) *Conf. fidei* p. 20. (HERINGA. 268.). Cf. *Tract. de Sacram.* p. 59a. ubi „fidei exercitia” dicuntur. [8]) *Tract. de Sacram.* p. 14a. Cf. ib. 63b.

[9]) Ib. d. 14b. Cf. ib. p. 23a, 24a. *Purgat. min. Francof.* p. 49.

[10]) *Tract. de Sacram.* p. 26b. Cf. ib. 20b. [11]) Ib. p. 26b.

[12]) Ib. p. 32a. Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 204—208.

[13]) *Tract. de Sacram.* p. 23b. Cf. ib. 68a.

[14]) Ib. p. 26a. *Forma ac rat. miu. Lond.* p. 208.

[15]) *Tract. de Sacram.* p. 29b. [16]) Ib. p. 70a.

[17]) Ib. Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 179. [18]) *Cat. Lond. mai.* p. 97.

[19]) *Tract. de Sacram.* p. 69b. Cf. ib. 70a. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 89.

[20]) *Purgat. min. Francof.* p. 22. Cf. *Tract. de Sacram.* p. 17a.

[21]) *Purgat. min. Francof.* p. 22, Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 94. *Tract. de Sacram.* p. 59a.

»tiae [22])," vere »efficacia sunt ad salutem [23])." Afferunt nobis duplicem fructum: »τὴν πληροφορίαν, i. e. quietem certam con»scientiae, et τὴν ἀνακαίνωσιν, i. e. mentis nostrae affectuum»que immutationem [24])." Sunt tamen »Sacramenta in hoc po»tissimum instituta, ut nostram cum Christo communionem in »merito mortis suae cordibus nostris obsignent [25])." »Videlicet »Christus aliquid in commune a nobis accepit: aliud rursus a »se nobis contulit: a nobis accepit substantiam carnis ac sangui»nis sine qualitate, nobis contra suae carnis qualitatem de»dit [26]). Iam autem »Sacramentorum mysterium in ea parte »positum est, qua in nos a Domino... aliquid in commune col»latum constat [27])." — 6°. *Num salus aeterna ab eorum usu necessarie pendeat?* »Naedien de Sacramenten een ordinancye des »Heeren sijn en ons op 't verlies onser salicheyt in warachti»gher ghehoersaemheyt te ghebruycken bevolen sijn, so mach »haerder ghebruyck sonder schade der salicheyt niet achterghela»ten worden [28]);" quod sic tamen intelligendum est, ut is demum sacramentorum habeatur contemptor, »die se niet ghebruyckt, »als hy het naer de ordinancye Gods *doen kan* [29])." Contra tantum abest, ut eorum usui salutem nostram necessarie alligaret à Lasco, ut religiose cavendum nobis esse moneat »van alle su»persticie ofte eenighe aenbindinghe onser salicheyt tot den »teecken [30])," quoniam »de teeckenen ende Elementen het »minste deel des godlicken diensts zyn [31])," et »de sacramen»ten in haer seluen ons niet salich maken [32])." — 7°. *Uude salutifera vis iis accedat?* »Non egent sacramenta ulla miraculo»rum commendatione, quae sunt ab illorum natura prorsus alie»na [33])." »Deum habent auctorem, qui per spiritum sanctum »suum efficit id, ut una cum signis signorum quoque mysteriis »vere ad vitam aeternam fruamur [34])." Neque tamen in omni-

---

22) *Purg. min. Francof.* p. 21. 23) Ib.
24) *Tract. de Sacram.* p. 61b. Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 94.
25) *Tract. de Sacram.* praef. 11. Cf. in i. l. p. 35a, 59b. et *Cat. Lond. mai.* p. 94. 26) *Tract. de Sacram.* p. 44a.
27) Ib. p. 56a. Christi quoque confessioni inserviunt. Cf. *Conf. fidei* p. 20 (HERINGA. 268.) 28) *Cat. Lond. mai.* p. 96. 29) Ib.
30) *Conf. fidei* p. 20 (HERINGA. 267.). 31) Ib. p. 4. (HERINGA. 236.).
32) *Cat. Lond. mai.* p. 96. 33) *Tract. de Sacram.* p. 23b.
34) Ib. p. 31a. Cf. ib. p. 63a. *Purgat. min. Trancof.* p. 21, 22. *Cat. Lond. mai.* p. 94.

bus promiscue spiritus sui virtutem per sacramenta exserit Deus, »quae nonnisi ad spiritales homines pertinere possunt[35])". *Subiective* ergo »fides necessarie requiritur, ut fini suo sa»cramenta respondeant [36])," quia »nonnisi fide apprehendun»tur [37])."

De singulis Sacramentis. — *a.* De Baptismo. — 1°. *Definitio.* »Baptismus est sacra Dei institutio, iuxta quam »omnia Ecclesiae membra sive in infantia, sive in adulta ae»tate aqua Baptizari debent in nomen Dei patris, filii, et spi»ritus sancti [38])." — 2°. *Mysterium.* »Dum in nomen Dei Patris, »Filii et spiritus Sancti baptizamur, invisibile mysterium est »nostra cum Christo Domino communio [39])," vel, quod eodem redit, »per Baptismum nobis designatur nostri et nostri seminis »gratuita in Dei gratiam acceptatio [40])." — 3°. *Signum.* Quemadmodum, ubi de Sacramentis in genere agit, eorum signum in corporeis elementis statuendum esse negat, sic quoque, Lasco iudice, »in Baptismo aqua ipsa Baptismi forma non est, sed po»tius instituta a Dom. in aqua tinctio [41])." — 4°. *Quaenam ei inhaereat salutifera vis?* Certiores Baptismi Sacramentum nos reddit, »ad quem modum aqua sordes omnes abluuntur, ita »sanguine Christi etiam ablutos esse nos in morte ipsius [42]);" obsignat nobis remissionem peccatorum [43]), »non huius tantum »aut illius temporis, sed quae per omnem vitam nostram patra»mus [44])," atque »nostros adeo animos in conscientiae certami»nibus tranquillat, fiduciamque nostrae cum Christo communio»nionis communit [45])." Est Baptismus instar »ἐπερωτήματος bo»nae conscientiae [46])," et signum vitae renovationis [47]); »τὴν πλη»ροφορίαν nobiscum communicat [48])," et magnopere denique fa-

---

35) *Tract. de Sacram.* p. 14b. Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 95.

36) *Purg. min. Francof.* p. 22. 37) Ib. p. 21. Cf. *Tract. de Sacram.* 58a.

38) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 179. *Cat. Lond. mai.* p. 97. *Cat. Emd. mai.* qu. 61. *Tract. de Sacram.* p. 89b. Cf. et p. 61a.

39) *Tract. de Sacram.* p. 86b. Cf. ib. 87a.

40) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 126. Cf. ib. p. 127, 630. *Cat. Lond. mai.* p. 97.

41) *Tract. de Sacram.* p. 61a. Cf. ib. 84b.

42) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 630. Cf. ib. p. 126. *Conf. fidei* p. 16 (HERINGA. 259.).

43) *Tract. de Sacram.* p. 88a. Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 180.

44) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 127.

45) *Tract. de Sacram.* p. 87b. Cf. ib. 86a, b. 46) Ib. p. 89a.

47) Ib. p. 89b. Cf. 61a. 48) Ib. p. 89a.

eit »ad totius Ecclesiae in fide erga Christum confirmationem [49])." Quamvis igitur grave erga Deum impietatis testimonium edere ii censendi sunt, qui »Baptismi usum legitimum, dum haberi »potest, negligunt atque contemnunt [50]);" vel sic tamen probe tenendum est, »nos non tam inseri proprie Ecclesiae per Bap»tismum, quam insitionem nostram potius, promissione nobis »delatam, veluti per sigillum quoddam, in hoc a Christi insti»tutum, obsignari [51])." Falluntur igitur egregrie, qui a Baptismi administratione aeternam salutem pendere arbitrantur, nam, »si ideo servaremur, quia baptizamur, quatenus equidem per »Baptismum Christo primum, atque ita vitae etiam aeternae in»serimur, sane Baptismo, id quod Dei solius proprium est, tri»bueremus [52])."

β. De Sacra Coena. — 1°. *Definitio.* »Coena Domini est »Christi institutio, in qua per panis et poculi Coenae participa»tionem salutaris ipsius mors visibiliter suo modo annuntia»tur [53]);" vel etiam, »een insettinghe Christi, daermede in de »herten der gelouighen betuygt eñ verseghelt werdt, de ghe»meynscap des lichaems ende bloedts Christi, als wij dat broodt »ende den kelck des Heeren genieten nae syn beuel inghe»stelt, tot synder ghedachtenisse [54])." — 2°. *Signum* in s. coena esse docet »non equidem panem aut vinum [55])," sed »distri»butionem ipsam ac participationem panis in coena [56])." — 3°. *Mysterium* nihil aliud est, quam »vera ac salutaris piis omni»bus cum Christo Domino in corpore ac sanguine ipsius com»munio [57])." — 4°. *Mysterii explicatio.* »Panis fractio *testatur* »corpus Christi pro nobis fractam esse ac in mortem traditam, »et poculum *testatur* sanguinem Christi in morte ipsius pro no»bis effusam esse in remissionem peccatorum [58])," ita quidem,

---

[49]) Ib. p. 88b. Cf. *Conf. fidei* p. 16. (HERINGA. 259.) et *Forma ac rat. min. Lond.* p. 126 et 180. [50]) *Tract. de Sacram.* p. 21a.

[51]) *Ep. ad Melanchth.* (*Scr. ant.* II. 1a. 499.) ubi salutem eorum quoque infantibus tribuit, qui sub Turcis degunt, „etsi non baptizentur."

[52]) *Tract. de Sacram.* p. 11b.

[53]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 181. Cf. ib. 184.

[54]) *Cat. Lond. mai.* p. 102. 103. Cf. *Tract. de Sacram.* p. 90a, et impimis p. 114a.

[55]) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 204. Cf. ib. 204—208. *Tract. de Sacram.* p. 93b, 105a. [56]) *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 483.).

[57]) *Form. ac rat. min. Lond.* p. 204. Cf. ib. 208—10 et 211—231. *Ep. ad Hardenb.* (*Scr. ant.* II. 2a. 629.). *Tract. ac Sacram.* p. 105b.

[58]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 181.

ut »una cum pane, i. e. eodem ipso tempore, quo pani coe»nae participamus, adesse nobis iuxta fidei praesentiam Christum »Dominum [59])," non quasi ipse Christus deorsum ad nos descenderet, sed »subvectis sursum animis nostris in coelum [60])." Est tamen haec eius cum Christo in coena communio a Calvini sententia plane diversa, nam dedita opera ostendit »intra *ob»signationis* finem omnia sacramenta concludenda esse [61])," et Calvini formulam se eo tantum pacto suam facere posse declarat, »si sub corporis nomine non equidem ipsa corporis substantia at»que ossa Christi Dom., sed potius communio corporis ipsius »intelligatur [62])," et »*exhiberi* idem esse dicatur, quod in pro»spectu ipso constitui ac sisti [63])." Quod enim Calvinus acriter semper defendit, per fidem animas nostras Christi corpore vesci, ideo reiicit, quod »res alioqui corporeae in substantia sua fide »percipi non possunt; neque enim fides circa res corporeas ver»satur [64])." Vel sic tamen eos quoque strenue redarguit, qui nonnisi »nuda tantum signa exhiberi nobis [65])," doceant, et, quamquam totus ubique est in suo cum Augustana Confessione (2e Ed.) consensu aliis quoque probando [66]), tamen Lutheranorum consubstantiationem [67]) una cum delitescentia [68]) et ubiquitate [69]), non minus infense aggressus est, quam transsubstantiationem Romanensium [70]). Consensui Tigurino (ai. 1549) contra calculum suum addidit [71]). — 5°. *Quaenam ii inhaereat*

---

59) *Series coll. c. Brentio* (MEINERS. I. 621.).

60) *Purgat. min. Francof.* p. 54. *Conf. de Christi corporis sui exh.* p. 3.

61) *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 468.).

62) *Conf. de Christi corporis sui exh.* p. 1. Cf. *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 483.)

63) *Conf. de Christi corporis sui exh.* p. 1.

64) *Tract. de Sacram.* p. 126b.

65) *Cat. Lond. mai.* p. 94. Cf. ib. 163. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 203, 213, 250.

66) *Purgat. min. Francof.* p. 66. *Ep. ad Sen. Francof.* (*Scr. ant.* II. 2a. 726.). *Ep. ad Brentium* (*Scr. ant.* II. 2a. 729.).

67) *Tract. de Sacram.* 117a—121b. *Coll. c. Noviomag.* (*Simpl. ac fid. narr.* p. 79.).

68) *Purg. min. Francof.* p. 15, 22, 23, 24, 49, 51. *Ep. dedic.* in *Forma ac rat. min. Lond.* p. 42.

69) *Purg. min. Francof.* p. 49, 52. *Tract. de Sacram.* p. 132a b.

70) *Tract. de Sacram.* p. 115a—117b. *Ep. ad Edw.* VI. ib. p. 5. *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 483.).

71) *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 468.). Cf. porro in universo: *Purg. min. Francof.* p. 15, 22—24, 34, 48, 49, 51, 66. *Tract. de Sacram.* 29a, 44b, 90b, 92a, 93a, 95b, 109a, 115a—123b, 126b, 131b, 132b, 133a, 138b, *Conf. de*

salutifera vis? »Dum coena utimur, confirmamur procul dubio »in certa ac indubitata fide nostrae cum Christo Domino com»munionis [72].” »Nostrae porro renovationis s. coenae usus nos »admovet [73])”, et novos in nobis excitat ad sanctificationem animi motus [74]). Primarius autem eius fructus est, »dat het ons, »die daer gheloouen, dat wij alle te zamen één lichaem Christi zijn, vermane ende verwecke, dat wy dat selue oock on»der een ander bewijsen [75]).” Quod denique »sui quoque mor»tisque suae recordationem” nobis mandat Iesus [76]), »perspi»cuum est Eum eiusmodi certe sui recordationem instituisse, »quae nobis non historicam tantum rei gestae memoriam in »otiosam quandam cogitationem revocaret, red quae ipsas etiam »cordis nostri medullas sp. scto auctore penitus commoveret [77]).” Quum igitur tam multifarius tamque dignus a S. coenae usu in nos fructus redundat, ii, qui sacrosanctum illud sacramentum despiciunt atque contemnunt, »die behooren den lichaeme »van Christi niet toe [78]).” Contra »extra omnem culpam »sunt, qui propter Romani Papae tyrannidem ab usu sacramen»torum abstineri malunt [79]).”

B. Sacramentorum administratio.

a. *De Sacramentis in genere.* »Aequum est, ut Sacra»menta in totius Ecclesiae coetu peragantur [80]).” Ut porro decenter eorum administratio fiat, solis Ecclesiae ministris eorum dispensatio permissa est [81]), qui disciplinae Ecclesiasticae usu ad

---

Christi corporis sui exh. p. 1, 3. *Conf. de nostra cum Christi communione* p. 1, 2. *Forma ac. rat. min. Lond.* p. 150, 181, 196—200, 210, 213, 222, 250. *Cat. Lond. mai.* p. 102. *Cat. Emd. mai.* qu. 63—69. *Ep. ad Edw.* VI. (in *Tract. de Sacram.*) p. 5, 6, 8. *Ep. ad Sigism.* (in *Forma ac rat. min. Lond.*) p. 41, 42, 77. *Ep. ad Bull. et Pellic.* (*Scr. ant.* IV. 1ª. 468, 483.). *ad Hardenb.* (ib II. 2ª. 629.) *ad Sen. Francof.* (ib. II. 2ª, 726, 727, 730.). *Series coll. c. Brentio.* (Meiners. I. 621.). *De missa papali* p. 26, 27. *De incarnatione Christi* C. ii. α. sqq. *Coll. c. Noviomag.* (*simpl. ac fid. narr.* p. 78. sq.) *Conf. fid.* p. 20ª. (Heringa. 267.).

72) *Forma ac ratio min. Lond.* p. 224. Cf. *Cat. Lond. mai.* 103, 104.

73) *Tract. de Sacram.* p. 114ª. 74) *Form. ac rat. min. Lond.* p. 238.

75) *Cat. Lond. mai.* p. 104. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 181.

76) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 204. Cf. ib. 231—244.

77) Ib. p. 233. Cf. *Tract. de Sacram.* p. 113ᵇ.

78) *Cat.. Lond. mai.* p. 105. Cf. ib. 106.

79) *Tract. de Sacram.* p. 93ᵇ.

80) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 117. *Conf. fidei* p. 20 (Heringa. 267.).

81) *Tract. de Sacram.* p. 21ª, 84ª. *Ep. ad Edw.* VI. ib. p. 14. *Ep. ad Cranm.* (*Scr. ant.* II. 2ª. 659.).

eorum participationem diligenter fideles incitare debent [82]). Vult enim »Deus, ut omnes, qui ad Ecclesiam quoquomodo pertineant Sacramentis, (dum legitime administrantur) [83]), utantur [84]).” — b. *De baptismo.* Baptismi usus, qui insitionem in Ecclesiam obsignat [85]), ad omnes mortales pertinet, adeoque »infantes quoque amplectitur [86]).” Nostro quidem tempore vulgo »paedobaptismus adhibendus erit [87]);” si qui tamen sint »adulti, qui vel a Iudaïsmo, vel ab Ethnicismo, aut etiam ab »Anabaptistis ad Ecclesiam veniant, in fide primum instruantur, »priusquam insitionis signum accipiant [88])”. Fiat autem Baptismus »in nomen patris, filii et sp. scti [89]),” i. e. »in communionem cum patre, filio et sp. scto [90]).” »Pater denique ipse »infantes, aut aliquot alii spectatae fidei in Ecclesia viri.. infantem ad Baptisma offerant [91]).” — c. *De s. Coena.* Etsi »per singulos certe menses” celebrari s. coena debeat [92]), a nimis tamen frequenti Coenae usu abstinendum esse putat [93]). Ceterum »edita publica confessione [94])” admittendi sunt omnes Ecclesiae socii »praeter excommunicatos [95]) et infantes infra »XIV^{um} aetatis annum [96]).” (E Christi mente infantes quoque admittendos esse, perquam habuit probabile) [97]). Quibus coenae aditus patet, peccant ii, si aut ipsum sacramentum [98]), aut sui, priusquam ad mensam Domini accedant, negligunt probatio-

---

82) *Ep. ad Edw.* VI. o. l. p. 11, 16, 17.

83) *Tract. de Sacram.* p. 65ᵃ. Cf. ib. 22ᵃ. et 22ᵇ. *De missa papali* p. 15. v. tamen p. 24.).

84) *Tract. de Sacram.* p. 65ᵃ. Cf. ib. 18ᵇ. *Conf. fidei* p. 20. (HERINGA. 267.).

85) *Ep. ad Mel.* (*Scr. ant.* II. 1ᵃ. 499.).

86) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 129.

87) *De incarnatione Christi* K. v. γ. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 117, 119. *Tract. de Sacram.* 82ᵇ, 84ᵃ. *Cat. Lond. mai.* p. 101.

88) *Form. ac rat. min. Lond.* p. 120. *Tract. de Sacram.* p. 84ᵃ.

89) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 122. Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 97. *Tract. de Sacram.* 84ᵇ, 85ᵃ.

90) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 122. 126. *Conf. fidei* p. 16. (HERINGA. 259.). *Tract. de Sacram.* p. 86ᵃ. *Cat. Lond. mai.* p. 98.

91) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 119. 92) Ib. p. 138, Cf. ib. 140.

93) Ib. p. 139. 94) Ib. p. 141, 165, 166. 95) Ib. p. 245.

96) *Tract. de Sacram.* p. 21b. Cf. 92ᵃ. et *Forma ac rat. in Lond.* p. 94.

97) *Tract. de Sacram.* p. 93ᵃ.

98) Ib. p. 92ᵃ. Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 158. *Cat. Lond. mai.* p. 116.

99) *Cat. Lond. mai.* p. 107. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 159, 193, 194, 196, 198.

nem [99]). Ad aegrotos ferri potest [100]). Hanc porro caeremoniam in ipsa coenae celebratione Ecclesiae ministris praescribit, »ut »panem ac poculum coenae — in manus suas accipiant, — ut »gratias agant Deo pro delatis suis erga nos in Christo benefi»ciis [101]);".. »panem dein frangant cum passionis Domini enar»ratione, fractumque demum panem atque apparatum in hoc »poculum *ipsi accumbentes* [102])" »accumbenti Ecclesiae porrigant, »ut accipiat, edat ac bibat in Christi Dom. recordationem [103])." Calicis denique, (quo *vitreo* utitur) ius strenue populo vindicat [104]).

§ 4. *Disciplinae usus.*

Disciplina Ecclesiastica, »quam Deus in sua Ecclesia observari »vult [1])," instituit Christus [2]), ordinaverunt Apostoli [3]), »totius »Ecclesiastici regiminis nervus" habenda est [4]). Adnumerat eam à Lasco inter verae Ecclesiae notas [5]), qua sublata »Ecclesia »consistere omnino non potest [6])", et »Sacramentorum ministe»rium prorsus observari nequit [7])." »Nititur certis ac soli»dis scripturae testimoniis [8])," vel potius tota »e scripturis »petita est [9])," in eo loco, ubi »Christus Dom. apud Matth. »XVIII et Luc. XVII iubet, ut offensi quoquo modo per fra»trem, admonitionibus apud illum utamur [10])." Plenissima eius, quae in Lasci scriptis reperitur, definitio sic se habet: »Est dis»ciplina Ecclesiastica certa quaedam e scripturis petita ratio ob»servandi gradatim admonitiones ex verbo Dei inter fratres in»vicem omnes Ecclesiae Christi, ut et corpus universum singulaque

---

[100]) *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 473.). *Tract. de Sacram.* p. 92a.

[101]) *Tract. de Sacram.* p. 104a. *Purgat. min. Francof.* p. 63.

[102]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 147—155. Cf. *Ep. ad Cranm.* (*Scr. ant.* II. 2a. 660).

[103]) *Tract. de Sacram.* p. 95b. [104]) Ib. p. 104a.

[1]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 271. [2]) Ib. p. 182.

[3]) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Src. ant.* III. 1a. 97.).

[4]) Ib. p. 115. Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 278.

[5]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 178. *Cat. Lond. mai.* p. 76. *Suppl. ad reg. Dan.* (*Simpl. ac fid. narr.* p. 28.). Quum ipse Ecclesiae Phrisiae-orientalis praefectus disciplinae institutionem a magistratu impetrare non poterat, munus suum posuit. Cf. *Ep. ad Bull. et Pell.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 462) et *Ep. ad Bull.* (ib. IV. 1a. 456.). [6]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 178.

[7]) Ib. p. 504. *Tract. de Sacram.* p. 62a. *Ep. ad Sigism.* praem. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 28.

[8]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 270. [9]) Ib. 271. [10]) Ib.

»eius membra in suo officio contineantur, Et si qui in illa de- »prehendantur obstinati admonitionum istiusmodi contemptores, »ut Satanae ad extremum per excommunicationem tradantur, »si quo modo per talem pudefactionem et caro illius interire et »spiritus ita demum revocari ad resipiscentiam ac proinde ser- »vari etiam posset [11]." »Instituta autem est disciplina in Christi »Ecclesia, non equidem in condemnationem, sed in remedium »potius infirmitatis nostrae omnium; ut eam usu disciplinae ve- »luti freno quodam, cohibeamus, tam in universo Ecclesiae »corpore, quam in singulis peculiariter etiam membris illius, »sine ulla cuiuscunque exceptione [12]." »Res (tamen) ipsa loqui- »tur, usum disciplinae in Ecclesiae non solum esse frenum sa- »lutare infirmitatis nostrae, sed esse etiam vinculum longe so- »lidissimum mutuae invicem omnium charitatis et libertatis »Christianae [13]." Quod porro ad *huius disciplinae usum*, ante omnia tenendum est, »ut ex mera charitate Christiana, candi- »doque et amanti pectore proficiscatur [14]." Deinde, »ut mode- »stiam ac prudentiam Christianam in nostris istiusmodi admoni- »tionibus adhibeamus [15]." Postremum »omnem in eius usu po- »testatem atque auctoritatem penes ipsam esse Ecclesiam [16]. Est autem disciplinae usus duplex, quatenus aut omnes quos- libet Ecclesiae socios spectat, aut ab Ecclesiae ministris inter se invicem exerceatur [17]. *Laicorum quoque »disciplinae usus* du- »plex iterum habendus est, nempe privatus et publicus [18]." *Privatus* hoc sibi vult, »ut quisque in Ecclesia alius alium fra- »terne ex verbo Dei admoneat [19];" sin minus proficiat, deinde »adiuncto sibi uno alterove fratre redarguat" pertinacem [20]; ubi denique ne vel sic a perversitate sua remittat peccator, »rem »ad ministros et Seniores Ecclesiae deferat [21]." *Publico* disci- plinae usui »privatus semper praetermittendus est, praeterquam

---

[11]) Ib. p. 270. Cf. ib. 182. *Ep. ad Hardenb.* (*Scr. ant.* II. 1a. 154.). *Ep. ad Bull.* (ib. IV. 1. 476.). [12]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 277.

[13]) Ib. 278. Cf. ib. 279, 280, 332, 350. Perraro ad doctrinam quoque eius usus refertur. Cf. ib. p. 525, 531. *Ep. dedic.* ib. p. 29.

[14]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 272. [15]) Ib. p. 273.

[16]) Ib. p. 275, 277, 311, 322, 328, 334, 335, 336, 341, 347, 348, 353, 354. *Cat. Lond. mai.* p. 107.

[17]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 507, 512—537. [18]) Ib. p. 282.

[19]) Ib. p. 288. Cf. ib. 290, 291. [20]) Ib. p. 288.

[21]) Ib. p. 288. Cf. *Ep. ad Edw.* VI. praem. *Tract. de Sacram.* p. 18.

»si *aut* flagitium ipsum ita iam innotuit, ut celari iam amplius »non possit, *aut* manifesta contemptus indicia adspiciantur [22]." Ceteroquin nonnisi res delatae a ministerio iudicari debent, eo tamen pacto, ut »accusatio nonnisi sub gravi et fide digno tes»timonio fiat [23])." Ubi autem res delata est, citari reus et »in ipso »coetu seniorum sub fide silentii reprehendi redarguique debet [24]);" deinde »agnita peccati sui culpa illam vel apud coetum ipsum »Ecclesiae [25])," vel »apud coetum ministrorum deprecari [26])." Ubi contra »culpam suam neque agnoscere, neque deprecari ve»lit, ministri et seniores Ecclesiae progrediuntur usque ad ex»communicationem [27]);" qua in re tamen moras nectere debent ministri ac nihil intactum relinquere, an forte ad resipiscentiam perducere reum queant [28]). Qui autem tali iudicio »resecti »sunt ab Ecclesia [29]) et Satanae traditi [30])," nihilominus »ferendi »tamen sunt in publicis Ecclesiae concionibus [31])," et publica poenitentia edita paratus iis sit solemnis in Ecclesiae societatem reditus [32]). Talis autem disciplinae inter Ecclesiae socios usus tanti aestimandus est, ut eius per tot saeculorum decursum omissio causa primaria habenda sit »omnis profanationis, omniumque »abusuum et omnis tyrannidis, quae sub papatu in orbe Chri»stiano fuit [33])." Praeterea peculiaris etiam *inter ipsos Ecclesiae ministros disciplinae usus* requiritur, »ut apud eos tanto maiore »severitate agatur, quanto magis sunt exposita oculis exempla [34])." Ecclesiae igitur »ministri, seniores ac diaconi, alii pro aliis se»dulo sint solliciti, ut si quem inter se videant negligentiorem, »protinus gradibus admonitionum utantur [35])." Ut denique vel levissimi abusus deprehendantur, saepius »peculiaris ministrorum, »seniorum ac diaconorum habeatur conventus [36])," in quo hoc imprimis agatur, ut doctrinae puritas consensusque unanimis et

---

[22]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 282. Cf. ib. 273, 291.
[23]) Ib. p. 294. Cf. ib. 292. [24]) Ib. p. 292. [25]) Ib. p. 306.
[26]) Ib. p. 293. Cf. ib. p. 299, 301, 304. [27]) Ib. p. 293. Cf. ib. 333.
[28]) Ib. p. 294—303. Cf. ib. 340, 356. Ceterum excommunicationem cum charitatis lege non pugnare, sed vero per eam exigi, demonstrat ib. 348. Cf. 273, 341, 350. [29]) Ib. p. 343.
[30]) Ib. p. 344. Cf. p. 350, 354. [31]) Ib. p. 361. Cf. ib. 362.
[32]) Ib. p. 385—503. Aliud quid esse *excommunicare* aliquem, aliud quid *arcere eum a Coena* V. ib. p. 201.
[33]) Ib. p. 537. Cf. ib. 505, 507, 512, 536. [34]) Ib. p. 535.
[35]) Ib. p. 514. [36]) Ib. p. 524.

vitae probitas atque integritas inter ministros, seniores ac diaconos simul omnes observetur et custodiatur [37])."

Bona Ecclesiastica.

Appendicis loco paucissima quaedam de bonis Ecclesiasticis monenda sunt. E Lasci quoque sententia aerario Ecclesia destituta esse nequit, ut rite obeantur functiones, »sine quibus neque guber»nari recte, neque facile consistere potest Ecclesia [38])." Ecclesiae enim officii id esse censet, ut ministris non tantum, *sed omnibus etiam senioribus atque diaconis* [39]) de honesta vitae ratione prospiciat [40]). Ad Ecclesiam quoque pertinere dicit »curam sco»larum aperiendarum cum suis ludimagistris [41])," ut egenorum liberi gratis aliqua saltem institutione fruantur [42]). Denique istiusmodi aerarium requiritur, ut habeat Ecclesia, unde largiendis eleemosynis inopiae egenorum subveniat [43]).

CONCLUSIO CAPITIS III.

Utitur Ecclesia, ut finem suum assequatur, mediis a Deo sibi concessis, quae, omni in se salutifera vi destituta, tunc demum coöperante spir. scto fructificabunt, si absque omni superstitione grato animo et qua decet benevolentia a hominibus recipiantur, dum omnes simul amanter, quantum in se situm est, vires iungant ac facultates, ut eam ingressi viam, quam monstravit iis Deus, intimae cum Christo communionis in dies magis fiant participes. Commisit igitur Ecclesiae Deus verbi ministerium, *quo revelationem suam in Christo, qualem, praeparatam olim a Prophetis et coelitus angelorum voce denuntiatam, tradiderunt eam no-*

---

37) Ib. p. 525. 38) Ib. p. 562.

39) *Cat. Lond. mai.* p. 28. Cf. ib. p. 3[illegible].

40) *Forma ac rat. min. Lond.* p. λ. et 287.

41) Ib. p. 56. Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 28.

42) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 106.

43) *Cat. Lond. mai.* p. 36. Cf. ib. p. 28. et in universo *Forma ac rat. min. Lond.* p. 559—571. „Argumentum concionis post collatum in Ecclesiam pu„blicum aliquod beneficium."

bis Apostoli et Euangelistae, et Petri de Christo confessione veluti in nuce summatim comprehenditur, Ecclesiae sociis assidua praedicatione annuntiet. Aquae porro tinctione in baptismo *testatur nobis Deus nostram in Ecclesiae corpus insitionem, et s. coenae usu, dum fide ei participamur, nostram cum Christo Dom. communionem coelitus nobis obsignat. Ne tamen socordia nostra inertes quando ab officio desistamus, iussit Ecclesiae socios* disciplinae usu *exhortari sese invicem et exstimulare alacriter, ut a deviis deflectant; qui autem corruptiores sunt, quam ut tam leni medicina sanentur, Ecclesiae ministerio deferre, ut admoneantur, castigentur, a coena arceantur, resecentur denique ab Ecclesiae societate, si perdurat obstinatio, resectique maneant, donec resipiscant. Denique Ecclesiae Deus dedit* tabularum ministerium, *ut alimenta omnibus pariter ministris suis praebeat, cultum Dei solemniter promoveat, et egenorum inopiae, tam spirituali, quam corporali, quantumpote subveniat.*

CAPUT IV.

ECCLESIAE SOCII.

---

§ 1. *Ecclesiae socii.*

Civitatis in Ecclesia Christiana ius ad omnes mortales pertinet, »want het Evangelie wordt allen menschen verkondight, »ghelyck het alle menschen in hem begrijpt [1].” Ubi igitur »instituta est alicubi Ecclesia Christi, in qua eam ipsam Dei »vocem sonare audimus, nos illi protinus cum alacritate animi »et gratiarum sedula actione adiungamus [2];” nam aditus unicuique patet et ab Ecclesiastica societate quod in se Deus arcet neminem. Ne tamen ovile Dei in improborum coniurationem convertatur, societatis Ecclesiasticae ius protinus amittunt, qui ob perversam cordis duritiem a ministerio ex auctoritate totius Ecclesia excommunicantur et traduntur Satanae. Sic quoque in

---

1) *Cat. Lond. mai.* p. 80, Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 377.
2) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 166. Cf. ib. 161. *De missa papali* p. 12.

admittendis sociis diligenter circumspiciendum est, inquantum moribus honesti sint, qui Ecclesiae Societatem expetunt[3]). Quum contra disciplinae usu ob doctrinae dissensionem eiicitur ex Ecclesia nemo, quamdiu Petri solemnem de Christo Confessionem suam facit, in promptu est ob subtiles doctrinae minutias ab Ecclesia arcendum esse neminem[4]). Ut tamen decenter omnia et ordine in Ecclesia peragi queant, nemo in Ecclesiae corpus inseri potest, quin ultro »disciplinae Ecclesiasticae se ac »sponte sua subiiciat," et pro axiomate valeat[5]), »omnes, qui »traditum a Christo et verbi et sacramentorum ministerium non »volunt agnoscere, eos nihil prorsus neque ad Christum neque »ad Eius Ecclesiam pertinere[6])." Nativitatus porro Ecclesiae societatis iure fruuntur liberi fidelium, »want de kinderen »oock mede in de ghemeynte Gods tot des Heeren verbonde »behooren[7]);" quare testatur à Lasco »liberos nostros in »Ecclesia sanctos esse[8])," et socios »e suis lumbis filios Dei »progignere[9])." Si quaeritur denique: »Undenam in animo »tuo persuasus es te revera esse membrum Ecclesiae Christi?" respondendum censet: »Sentio ipsius spiritus sancti testimonio »in spiritu meo ipsius, quod sum filius Dei patris[10])."

§ 2. *Sociorum in Ecclesia officia.*

Quamquam primariae in Ecclesia promovenda partes ab iis sustinentur, qui peculiariter ad id vocati omnem vitam suam Ecclesiae commodo impendunt; »sunt tamen quaedam plebis »quoque in Ecclesia officia: quae ab omnibus, qui pro mem»bris Ecclesiae haberi volunt, ita sunt retinenda, ut eorum cu»stodia ad usum disciplinae pertineat omnino; neque ad illo»rum negligentiam conniveri ullo modo aut debeat, aut possit. »Ea vero partim intuentur Deum ipsum in cultu atque obe»dientia ipsius: partim ministros Ecclesiae publicos..: partim »autem mutuam invicem fratrum in Ecclesia omnium societa-

---

3) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 186.

4) Ib. 167. Cf. *Conf. fidei* p. 19 sq.

5) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 186. Cf. ib. 538. *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 468.).

6) *Ep. ad Melanchth.* (ib. II. 1a. 500.). 7) *Cat. Lond. mai.* p. 99.

8) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 591. Cf. ib. 166. *Conf. fidei* p. 6. (HERINGA. 239.). 9) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 592. 10) Ib. p. 167.

»tem [1]." De sociorum erga ministros officiis quum infra dicendi locus sponte dabitur, hic igitur de iis tantum officiis agemus, quae tum erga Deum, tum erga fratres suos Ecclesiae socii praestare debent. 1°. *Officia erga Deum et Christum.* Singulis Ecclesiae membris iniungitur, »ut quisque in Ecclesia suam in »Deum fidem ore suo, pro doni sui mensura, contestetur," et palam coram omnibus Dominum suum confiteatur; »want die »daer warachtelick ghelooven, konnen haer niet vermijden, of »sij belijden oock tghene, dat sij ghelooуen: want het warach»tigh ghelooue breekt wt, ende kan niet verborghen sijn. Daer »is dan tweederhande belijdinghe des gheloofs in de ghemeynte »Christi: de eene is openbaer, de andere is eenen yeghelicken »eyghen, die oock tot alle lidtmaten der gantschen Ghemeyn»ten, ghebruyck haers verstants hebbende, gantschelyck toe»komt: (also) dat een yegelick bijsonder in de Ghemeynte... »ontwyuelick belijden moet, tzy thuis bij hare ouders, tzy bui»ten huyze, als zy daertoe verzocht werden, dat die Sone »Marie warachtelick Jesus sy enz. [2]." »Neque sui ipsius per»sonae, neque loci, in quo versatur, honor, commodum, tran»quillitas atque existimatio; neque amicorum suorum odium »aut amor, neque ocii quies, nullus denique omnino humanus »affectus vel metus quoquomodo remoretur [3])" fidelem, quominus publica confessione Christi gloriam promoveat [4]). Requiritur, »ut quisque institutum a Christo Domino in sua Ecclesia »cultum publicum diligenter observet [5])," et »ut suam quisque »infirmitatem in Ecclesia ingenue agnoscat: in illa se sibi dis»plicere, illam se accusare, proque illa se veniam petere opor»tere semper testetur [6])," ut denique in vitae honestate Deo testimonium praebeamus, nam »hoc est proprium Ecclesiae offi»cium, ut aliud neque debeat, neque possit etiam facere, quam »testem esse Christi, et nisi perpetuo Christo Domino doctri»naeque suae testimonium suum perhibeat, Ecclesia vera neque »esse amplius, neque etiam dici possit [7])." 2°. *Officia erga fratres.* »Quae autem plebis totius ac singulorum membrorum in

---

1) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 285.
2) *Conf. fidei* p. 19. (HERINGA. 265.). Cf. *de missa papali* p. 5.
3) *Ep. ad Drus. Syssinghe* (*Scr. ant.* II. 1a. 523.)
4) *De missa papali* p. 25. 5) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 286.
6) Ib. 7) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 108.).

»Ecclesia officia ad mutuam fratrum invicem omnium societatem »pertinent, in hoc inprimis consistere videntur [8]:" »ut quis»que in Ecclesia totius simul corporis Ecclesiae imprimis, dein»de vero singulorum eius membrorum inter sese (quoad eius »fieri potest) pacem, concordiam atque unitatem sub verbi di»vini obedientia observet, custodiat, promoveat ac tueatur pro »sua virili, neque illam (quod in ipso est) scindi quoquomodo »perturbarive sinat [9];" propterea quod, »als ledematen der »ghemeente Christi... door de liefde hare gaven tot opbou»winge gemeen hebben [10]." »Membra enim in uno eodemque »corpore omnia, non possunt alia pro aliis non semper esse sol»licita: sed mutuam inter se invicem curam alia pro aliis ha»bent [11]." »Ut (porro) quisque in Ecclesia alius alium fraterne »ex verbo Dei admoneat, et alius ab alio vicissim admonitiones »eiusmodi libenter accipiat [12]." »Ultro (denique) ac libenter, »liberaliter etiam in usum atque alimoniam pauperum conferant, »memores ea, quae habent, non esse sua, sed Dei solius propria [13]."

§ 3. *Mutua Sociorum ad invicem relatio.*

»Vinculum societatis Ecclesiasticae adigit omnes in Ecclesia, »sine ulla cuiuscunque exceptione ad mutuam aliorum pro aliis »sollicitudinem ac curam, quam nobis omnes invicem, tanquam »unius corporis membra, debemus, etiamsi alia aliis inter nos »longe praestantiora esse non dubitemus [1]." Eadem igitur relatio inter Ecclesiae Christianae socios intercedere debet, qualem genuini ac bene morati fratres inter se invicem colere atque observare solent. Quid? quod intima fratrum inter sese relatio laxior etiam est atque debilior, quam ut Lasci de Ecclesia mentem ad plenum usque significare posset atque exprimere. Nimirum vim ipsam ac robur Ecclesiasticae societatis pro indole sua ac natura in arctissima

---

8) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 287.

9) Ib. p. 288. Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 76.

10) *Cat. Emd. mai.* qu. 47.

11) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 86.

12) Ib. p. 288.

13) Ib. p. 9. Quod de *sociorum officiis* in Parte I. non egimus, in Lasci autem Ecclesiologia disputavimus seorsim, idcirco ita faciendum videbatur, quod ipse à Lasco dedita opera de iis agit, et ordine sociorum quoque officia recensuit atque enumeravit, Calvinus e contrario ea praetermisit silentio. Quo iure porro Ecclesiae characterum e mente Lasci in *societatis* notione positum esse supra diximus, haec quoque egregie illustrant.

1) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 275.

sociorum invicem mutua consociatione deprehendisse à Lasco videtur. Non nomine tantum, sed reapse ei Ecclesia in solidum una, unum corpus compactum est, adeoque tam presse, tam arcte, tam adstricte denique, indissolubili fere vinculo intime coadunata est, in unum compacta, copulata, conglutinata atque consociata, ut major certe cohaerentia cogitari prorsus nequeat. Sic, ut alia omittam, »infantium cura non ad parentes solos, »sed ad totam Ecclesiam quoque pertinet [2];" — »Baptismus »non tantum ad infantes,... qui ad illum offeruntur, sed ad »Catholicam etiam Christi Ecclesiam ita pertinet, ut illam totam »cum omnibus ubilibet membris suis mundam prorsus censeri »testetur, et proinde esse id debiti officiique nostrum omnium, »ut non minus illum ad nos omnes pertinere censeamus, quam »si una cum hisce infantibus pariter omnes baptizaremur [3];" — »qui peccant in Ecclesi*a* (non Ecclesi*am*), culpa se haud dubie »profanati pariter sacrosancti sanguinis et corporis Christi libe»rare non possunt [4]," ac proinde, — »quisque in Ecclesia cogitet »peccatum fratris non tam ipsius solius, quam suam etiam to»tiusque adeo Ecclesiae esse, ut quisque se et totam Ecclesiam »in conspectu Dei ream esse statuat [5];" et rursus, ubi excommunicatus publice edita poenitentia in Ecclesiam recipitur, — »tota etiam Ecclesia de certa peccatorum remissione... conso»lationem accipit per attestatoriam illam peccatorum remissio»nem et cum Ecclesia fratris lapsi reconciliationem [6]." Quibus si addideris ea, quae de sociorum erga fratres officiis in praecedenti § disputata sunt, penitius Lasci mentem tibi habebis perspectam, ubi sociorum mutuam relationem laudat, tanquam »mutuam invicem fratrum in Ecclesia omnium socitatem [7]."

CONCLUSIO CAPITIS IV.

Ecclesiasticae societatis ius omnibus competit, qui moribus honesti unanimem cum Ecclesia doctrinae consensum foveant et Ecclesiasticis institutionibus subiicere se velint. Ipsi fideles in Ecclesiae

---

[2]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 86.

[3]) Ib. p. 123. [4]) *Ep. ad Christ.* III. (*Scr. ant.* II. 2a. 685.).

[5]) *Forma ac rat. min Lond.* p. 311. [6]) Ib. [7]) Ib. p. 285.

societate primarium locum occupant, dum arctissima invicem coniunctione coadunati gravissimam alii pro aliis mutuam suscipiunt sollicitudinem, neque in se otiosi et aliorum rerum incuriosi quietam vitam agunt, sed una cum Ecclesiae ministris toti sunt in tuenda ac promovenda Ecclesiae societate, quam propellunt maxime et vi in exemplo posita propagant tum sancta sociorum vita, tum mutua adinvicem amoris praestatio, tum assidua denique Christi coram omnibus confessio.

CAPUT V.

ECCLESIAE REGIMEN.

§ 1. *Regimen coeleste.*

Quae supra disputavimus de Dei hominumque in Ecclesia operatione tam arcte a Calvino confusa subinde atque permixta, saepius contra tam stricte a se invicem seposita atque seiuncta, ut naturalis inter utramque nexus frustra quaeratur [1]), similiter in Lasco etiam valent, quare hic quoque de Dei Christique in universam Ecclesiam et singula eius membra efficientia verbo dicendum erit, antequam ad Ecclesiae per homines regimen disputatio nostra perveniat. »Dei Ecclesia [2])," cuius origo atque institutio ad Deum auctorem referenda est [3]), a Deo unice pendet, adeo ut »omnes Ecclesiae ministri Deum vocationis suae »auctorem habeant [4]);" »Dei quoque beneficio fiat, ut fideles »habeamus ministros [5]);" »gratiae Deo agendae sint pro illis »Ecclesiae luminibus, quae ad restituendam Euangelii Christi »lucem excitata sunt [6]);" a Deo denique deprecandum sit, »ut »ministros Ecclesiae spiritu scto suo illuminet, suaque manu

1) Cf. supra p. 56, 57.
2) *Ep. ad Christ.* III. (*Scr. ant.* II. 2a. 685.) Cf. *Ep. ad Henr. palat.* (ib. II. 2a. 722.). 3) V. supra p. 106.
4) *Forma as rat. min. Lond.* p. 56. Cf. *Ep. ad Hardenb.* (*Scr. ant.* II. 2a. 633.). *Ep. ad Cranm.* (ib. II. 2a. 666.).
5) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 14. 6) *Tract. de Sacram.* p. 38b.

»potenti corroboret, regat ac gubernet [7];" »Ecclesias a se »plantatas favore suo divino prosequi deinceps etiam velit [8];" postremo, »ne uti causam Euangelii deserat, sed ad gloriam »filii sui in dies illustret [9])." Operatur haec autem in Ecclesia Deus virtute spiritus sui, nam »soli spiritui scto proprium est, »ut potens atque efficax reddat ad salutem institutum a Christo »Ecclesiae ministerium [10])." Etenim Sp. sctus proprie quidem »iuxta divinitatis suae existentiam replet omnia [11])," sed hic potius ceu »virtus" intelligendus est [12]), vel etiam ceu »digi»tus Providentiae et virtus potentiae Eius [13])," per quem actio»nes nostras omnes et omnia consilia nostra Deus regit [14])," »en buyten wiens gaven wy niets goeds doen, noch recht in »goddelicke saken verstaen konnen [15])." Nam spiritu operante innovamur [16]) »en werden aller verkoren herte so vernieuwt, »dat se andere ende nieuwe menschen beghinnen te werden [17])." »Rursus spiritus scti efficacia est, ut nos innovatos excitet as»sidue ad obluctandum sensui carnis nostrae, ne illum deinceps »regnare in nobis quoquomodo patiamur [18])," sed »ad finem us»que per assidua pietatis incrementa perseveremus [19])," quoniam »verae fidei in Christo Spiritus sanctus auctor est [20])." Est »spiritus sctus perpetuus testis ac glorificator Christi Dom. in »omni eius institutione [21])," et quatenus »omnis veritatis doc»tor [22])," »quacunque vult, spirat, donaque sua pro eo ac vult »et quibus vult largitur [23]);" etsi »habeat donorum suorum »gradus nobis incognitos [24])." »Suos denique ubiubi coniungit »Dominus per eundem Spir. sctum, etiamsi longissime invicem

---

7) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 38. 8) Ib. p. 77.
9) *Tratc. de Sacram.* p. 58a. 10) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 593.
11) *Ep. ad Hardenb.* (*Scr. ant.* II. 2a. p. 640.).
12) Cf. *Tract. de Sacram.* p. 124b. *De incarnatione Christi* D. v. *θ. K.* IV. *β. Forma ac rat. min. Lond.* p. 79. et *Cat. Lond. mai.* p. 51 al.
13) *De incarnat. Christi* D. v. *γ.* 14) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 645.
15) *Cat. Lond. mai.* p. 74.
16) *De incarn. Christi K.* IV. *α.* Cf. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 366.
17) *Cat. Lond. mai.* p. 75. 18) *De incarn. Christi K.* IV. *β.*
19) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 102.
20) Ib. p. 163. Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 51, 52.
21) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 593. Cf. *Tract. de Sacram.* p. 68b.
22) *De incarn. Christi* Ib. v. *ζ.* Cf. *Ep. ad Sigism.* (*Scr. ant.* III. 1a. 132.). *Ep. dedic.* in *Forma ac rat. min. Lond.* p. 49. *Cat. Lond. mai.* p. 75.
23) *Ep. dedic.* praem. *Form. ac rat. min. Lond.* p. 49.
24) *Tract. de Sacram.* praef. p. 5.

»absint [25])," et nos omnes »regit, ut idem omnes et sentiamus »et loquamur ad gloriam adorandi sui nominis [26])." Etsi igitur proprie Deus summum in Ecclesia imperium habet, tamen »Pater filium suum honorare voluit dato illi iuxta providentiam »suam regno [27])." Christus igitur Ecclesiae in caput ac pontifi»cem aeternum datus est [28])," ut »nos omnes regesque adeo »nostros verbi sui auctoritate, hypocritas vero et adversarios »fèrreo suo sceptro regat atque compescat [29])." Postquam enim Christus vitae suae finem imposuerat, in coelum sublatus est, »ubi iam est in supercoelestibus ad dexteram patris sui in ae»terna gloria collocatus, unde etiamnunc divina sua potentia »suam Ecclesiam ad saeculi usque consummationem regit atque »defendit [30])." »Sedere illud ad dexteram Patris," ita interpretandum est, »dat hij (oock in de menschelicke natuere, over»mids datze met de goddelicke vereenight is), gheweldich de »de eere ontfanghen heeft onder alle Enghelen ende creaturen, »regierende met den Vader, van wt den eyghen troon zynder »heerlickheyt mit ghelycker kracht ende glorie over hemel »ende aerde; also dat hem buyghen zullen alle knyen, hem »dienen alle creaturen, hem bekennen ende aanbidden alle »tonghen [31])." »Ille igitur summus regium omnium rex est ac »nomotheta [32])," cui »omnes totius orbis terrarum gentes in »possessionem adeoque et haereditatem aeternam a Deo patre »coelesti traditae sunt [33])," et »in cuius igitur nomine, pote»state atque auctoritate, in cuius maiestatis denique conspec»tu [34])" omnia in Ecclesia peragi debent. Spectat autem Christi

---

25) *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 446.).

26) *Tract. de Sacram.* praef. p. 16. Cf. de spiritu scto, *De missa papali* p. 10. *Ep. ad Bull. et Pellic.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 464.). *Ep. ad Bull.* (ib. IV. 1a. 469.). *Ep. ad Sen. Pol.* (ib. III. 1a. 73).). *Forma ac rat. min. Lond.* p. 16, 36, 365. *De incarn. Christi* p. *K.* IV. *β*. *Cat. Lond. mai.* p. 75 et *Cat. Emd. mai.* qu. 43.

27) *De incarnat. Christi* B. v. *ζ*.

28) Ib. p. C. v. *δ*.

29) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 92.)

30) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 175.

31) *Cat. Lond.* p. 71. Cf. *Tract. de Sacram.* p. 129b. *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 94, 95.).

32) *Ep. ad Edw.* VI. praem. *Tract. de Sacram.* p. 16.

33) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. p. 74). Cf. *Ep. dedic.* praem. *Forma a Tract. min. Lond.* p. 63. *Cat. Lond. mai.* p. 71 in fine. *De incarn. Christi* C. v. *γ*. *Conf. fidei* p. 12. (HERINGA. 251), p. 18. (ib. 264), p. 3 (ib. 234). *Ep. ad Hardenb.* (*Scr. ant.* II. 2a. 637.).

34) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 359. Cf. ib. p. 398.

summum imperium tam universam Ecclesiam, quam singulos eius socios. *Universam Ecclesiam* spectat, nam »Christus Eccle»siam suam regit atque gubernat [35]," regetque »usque ad »saeculi consummationen [36]," cui igitur »Ecclesia subiecta esse »debet [37]," quia »ille aeternus eius rex est, doctor atque pon»tifex [38]," »cuius solius doctrina pasci et sacrificio mundari »expiarique potest [39]." Omnes institutiones Ecclesiasticae ad eum auctorem referendae sunt [40], quoniam »ille Dom. Iesus »omnium supremus et aeternus rex est Ecclesiae Dei, cui sem»per praesens adest [41]," quam consolatur [42] et donat beneficiis suis [43], continet denique «in apostolica confessione [44].)." Praeterea autem divinam suam virtutem in *singulos* quoque *fideles* exserit. Christus enim est, »die alle mensche verlicht [45]," »die ons allen salich maect [46]," »ons altyt beschermt als een »Heere zijn eyghe volck doet [47]," den gheloouighe op aerden »altijt tegenwoordich is, voor al misval ghenedelick bewaert, »eñ den Vader stadelick, als een trouwe eñ bermhertighe »priester eñ patroon voor haer bidt [48]," ad quem igitur preeandum docet à Lasco, »ut regio suo sceptro (se) nos regere »dignetur [49]," quia ille est aeternus rex ac doctor animarum »nostrarum [50]," qui »universo se mortalium generi adgluti»nare dignatus est," et nunc iam »in omnibus omnia est sine »ullo discrimine [51]." Quodsi de huius tanti imperii *natura* sciscitatur, docet nos à Lasco »omnipotentiam Christi Dom., »cum sit verus Deus, toto pectore et reverenter agnosc(endam »esse), ubicunque illam declarandam esse scripturae testimonio

---

35) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 36. 36) Ib. p. 175.

37) Ib. p. 610.

38) Ib. p. 359. Cf. ib. p. 398. *Cat. Lond. mai.* p. 59. *Conf. fidei* p. 8. (HERINGA. 243, 244) p. 19. (ib. p. 265). *Tract. de Sacram.* p. 141a.

39) *Ep. ad Coss. et Sen. Hamb.* (*Simpl. ac fid. narr.* p. 224.). *Conf. fidei* p. 9. (HERINGA. 245.).

40) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 398, 581, 593.

41) *Conf. fidei* p. 8. (HERINGA. 244.). 42) *Tract. de Sacram.* praef. p. 15.

43) *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 457.). *Ep. ad Christ.* III. (ib. II. 2a. 685.).

44) *Ep. dedic.* praem. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 79.

45) *De missa papali* p. 4. 46) *Conf. fidei* p. 19. (HERINGA. 265.).

47) *Cat. Lond. mai.* p. 59. 48) Ib. p. 71.

49) *Ep. ad Bull. et Pellic.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 458.). Cf. *Ep. ad Sen. Pol.* (ib. III. 1a. 74.).

50) *Ep. ad Edw.* VI. (praem. *Tract. de Sacram.*) inscriptio.

51) *Tract. de Sacram.* p. 83b.

»doce(mur) [52]);" »tanta (enim) est Christi vis ac potentia, ut »etsi sacerdotum principes adventui suo, quantum possunt, re»clament, veniat tamen nihilominus ipse [53])." Quum autem ipse Deus est, »Christus opus suum efficit per Spiritum sctum »in cordibus nostris [54])," et simul statuendum est, »dat sijn »rycke eeuwich sij [55])" et »permansurum ad saeculi usque con»summationem, et tum demum in gloria ac maiestate sua ven»turum illum ad iudicandum vivos ac mortuos [56])."

§ 2. *De Ecclesiae ministris in universo, deque eorum in varias classes distributione.*

Vidimus summum in Ecclesia imperium a Deo Christo Domino nostro mandatum esse, qui in Ecclesia gubernanda certis quibusdam institutionibus utitur, quarum hominibus commisit ministerium, in quo et iuxta quod ipse per spiritum in nobis operatur. Est igitur »ministerium Ecclesiasticum non humana »sed divina plane institutio [1])," »singulari Dei beneficio Eccle»siae donata [2])." Neque promiscue unusquisque huius ministerii partes sustinere potest, »sunt enim in Ecclesia, quos ad id »peculiariter ab ipsomet Deo per spiritum sctum constitutos esse »scriptura ipsa nos docet [3])." Quid? quod »omnis in Ecclesia »successus ex divina ordinatione a ministrorum fide, cura ac »pietate maxima fere ex parte propendet [4])."

Pro variis, quibus funguntur officiis, in certas quasdam dividuntur classes, de qua re sic noster: »Het ampt der Dienaeren »der Ghemeynte is menigherley, ghelyck als de bedieninghe »selue. Ende de openbare dienste in de ghemeynte Christi, »syn voornemelick dry: namelick des *woorts*, des *sweerts* ende »der *tafelen* voor den armen [5])." Si tamen arctiore sensu ad Ecclesiam proprie sic dictam attenditur, nonnisi »duo praecipui

---

52) *Adnot. ad conc. Noviom.* (*Simpl. ac fid. narr.* p. 68.).

53) *Ep. ad Sigism.* (*Scr. ant.* II. 2a. 713.).

54) *Tract. de Sacram.* p. 21a. Cf. ib. p. 40b et *Forma ac rat. min. Lond.* p. 593. 55) *Conf. fidei* p. 8 (Heringa, p. 244).

56) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 175. Cf. *Conf. fidei* p. 9. (heringa. 246.).

1) *Forma ac rat. min. Lond.* p. ε. 2) Ib. 3) Ib. p. 510.

4) Ib. p. ε. Cf. ib. η, 24, 25, 45, 509. *Ep. ad N. N.* (*Scr. ant.* II. 1a. 490.). *Conf. fidei* p. 21a, 22b. (heringa. p. 269, 271.). *Cat. Lond. mai.* p. 60.

5) *Conf. fidei* p. 21. (heringa. 270.).

»sunt in Ecclesia peculiares ministrorum ordines, alter Senio»rum, alter Diaconorum [6].” Nec seorsim tunc verbi ministri recensentur, quoniam »ad Presbyterorum illum ordinem ipsi »quoque pastores atque doctores omnes pertinent [7].” »Nihil »aliud (enim) est inter pastores ipsos doctoresque ac reliquos »Presbyteros discrimen, nisi quod illi in verbi ac doctrinae mi»nisterio laborant: isti vero in eadem ipsa gubernandae et con»servandae Ecclesiae cura ac custodia velut socii habentur [8].” »Universo huic Seniorum ordini praeest unus ex illorum numero »ad id electus, ut eius auctoritate unanimis simul consensus in »rebus omnibus retineatur. Est autem hoc duntaxat nomine »aliis superior, quod plus laboris ac curae sustineat, — cete»rum in verbi ministerio nihilo quam reliqui Seniores maiorem »obtinet auctoritatem [9].” Doctores nullam peculiarem in Ecclesiae ministerio classem constituunt. Promiscue ornantur hoc titulo, qui prae ceteris vasta eruditione et ingenii acumine excellent [10]. Prophetarum speciem nobis exhibet quidem in Prophetiis, sic dictis; sed nusquam tamen Prophetae nomine ornantur, qui ad Prophetias ex Ecclesiae corpore designantur [11]. Apostolorum denique munus prorsus extraordinarium habuit, »quorum institutionis ipse Deus auctor erat [12],” et »quos pre»cones toti orbi terrarum esse voluit [13].” Habemus igitur in

---

6) *Forma ac rat. min Lond.* p. *α.*

7) Ib. praef. p. 10. 8) Ib. praef. p. 11.

9) Ib. operis p. *β.* Quod contendit GOEBEL o. l. I. p. 340. Superintendenturam ab à Lasco se invito institutam esse, nullo idoneo argumento nititur. Synodum Eccles. s. cruce, quae a⁰ 1571 Emdae habita est, in canone primo decrevisse: „Gheen kercke sal over een ander, geen dienaer des woorts, gheen „ouderlinck, noch diaken sal d'een over d'ander heerscappy voeren” (*Kerkelijk Handboekje*, Rotterdam 1753. p. 62.), Goebelii opinioni minime favet; quod enim superintendentura, dum à Lasco Ecclesiae Emdanae praeërat, Emdae floruit, post eius mortem vero abrogata est, testari videtur ipsum Lascum ex animi sententia huius muneris patronum exstitisse. Miror neque Lechlerum huius muneris disertam mentionem fecisse.

10) *Purgat. min Francof.* p. 30. *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 452.). *Ep. ad Sen. Pol.* (ib. III. 1a. 102.), *Ep. ad Hardenb.* (ib. II. 1a. 516.). *De incarnat. Christi* C. IV. *β. Forma ac rat. min. Lond.* praef. p. 10, 11.

11) Aliter censuit GOEBEL o. l. I. 339, qui prophetis quoque et doctoribus suum in Eccl. ministerio peculiarem locum designat. Quam parum e Lasci mente vide in *Forma ac rat. min. Lond.* p. 107—117.

12) *De incarnat. Christi* H. V. *γ.*

13) Ib. p. H. V. *ζ.*

syllogae formam redactam hanc ministrorum in Lasci Ecclesia divisionem:

Ministri verbi.	Gladii.	Tabularum.
—	—	—
1. Seniores	2. Magistratus.	3. Diaconi.
a. Ministri.		
α. Superintendens.		
β. Ministri.		
b. Presbyteri.		

§ 3. *Ministrorum electio.*

Serie inquiramus quales, a quibus quomodo, et quibus ritibus eligendi sint. a. *Quales.* In universo istiusmodi homines requiri statuit noster, qui »in Sacris studiis diligenter versati, certis »verae pietatis officiis, ea se omnia praestare et velle et posse »utcunque declarant," quae ex auctoritate Ecclesiae ministris mandantur [1]). Inprimis cavendum monet, »ne Neophytae assu»mantur, aut tales, qui turpis lucri, aut propriae gloriae suae »causa sese insinuant [2])." Denique Ecclesiae electioni interna vocatio accedat necesse est, quapropter designatus rogatur: »Sen»tisne internum spiritus scti in corde tuo afflatum, excitantem »te ad suscipiendum in hac Ecclesia delatum tibi ministe»rium [3])." b. *A quibus quomodo.* Si qui ministri in Ecclesia eligendi sunt, »quisque in Ecclesia serio secum dispiciat, quosnam »ad illud ministerium maxime utiles atque idoneos esse putet, »nominaque eorum in scripto ministris ac Senioribus Ecclesiae »tradat [4])," qui deinceps in consessu suo variis lustratis scedulis eorum nomina annotant, qui plurimis Ecclesiae suffragiis commendantur. Ex hoc autem numero singuli seniores alii post alios suum quisque suffragium ferunt, et salva Ecclesiae auctoritate pro potestate sibi concessa ministrum eligunt. Tunc autem nomina electorum publice in concione recitantur, et toti Ecclesiae unius hebdomadis spatium conceditur, ut »si quis aliquid

---

1) *Forma ac rat. min. Lond.* p. *κ*. 2) Ib.
3) Ib. p. 32. de Senioribus p. 43. de Diaconis p. 50. Cf. *Ep. ad Dav. Georg.* (*Scr. ant.* III. 1ª. 505) *ad eundem* (ib. III. 1ª. 509.)
4) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 20.

»se habere credat, quod officeret electioni, id ipsum Senioribus »privatim indicare velit, ut in coetu demum gravis accusationis »examinatio fiat [5])." »Si quid adversus electos proferatur, quod »electionem dubiam merito facere posse videatur, electi ad mi»nisterium non admittuntur, sed in locum illorum substituuntur »alii [6])." »Denique regia auctoritate approbantur Superintendens »et verbi ministri, reliqui vero Seniores omnes, Diaconi item »sola Seniorum et Ecclesiae auctoritate approbantur [7])." Quodsi minus fideliter electi munere suo fungantur, Seniorum officium est, »ministerio ipsorum eos cum assensu Ecclesiae destituere [8])." c. *Quibus ritibus.* »Quum Ecclesia uno aliquo aut pluribus mi»nistris opus habet, publicum indicitur ieiunium [9])," et solemnis habeatur concio, ad preces publicas instituendas, in qua simul etiam totius muneris ratio accurate Ecclesiae exponatur [10]), et palam electio promulgetur [11]). »Trinundinas post in publico »totius Ecclesiae coetu electi inaugurentur [12])" »iuxta apostoli»cam observationem per impositionem manuum [13])," ita ut »alii »ministri ac Seniores Ecclesiae omnes capitibus illorum, qui »electi sunt, manus una omnes imponant [14])."

§ 4. *Ministrorum conventus.*

Forma regiminis Ecclesiastici, quae Synodalis dicitur, in Lasci scriptis omnibus numeris absoluta nobis tradita non est. Nec mirum; numquam enim à Lasco theoretice suam de Ecclesia

---

[5]) Ib. p. 20. Cf. ib. 20—23. [6]) Ib. p. 24. [7]) Ib. p. γ.

[8]) Ib. p. ν. Cf. ib. 532, 533, 534. Valent haec omnia in seniorum etiam et diaconorum electione, quod observant etiam LECHLER o. l. p. 60 et GOEBEL (o. l. I. p. 341.). Minus recte tamen in voce ministri (quae omnes sc. simul complecteretur) substiterunt, ubi diserta Lasci testimonia praesto sunt. Sequitur enim in p. 24. „Hic tamen quaedam peculiariter observantur circa ministrorum „*verbi* electionem." Unde sequitur ea, quae praeccdunt, omnes promiscue spectare. Nusquam peculiaris praeterea Seniorum eligendorum ratio describitur, et tamen in inaugurationis formula legimus: „postquam Seniores electi sunt, *ut su*„*pra est dictum*," p. 42. et similiter in diaconorum initiatione: „postea quam Diaconi iam, „*ut dictum est*, electi sunt" p. 48; in quibus verbis illud „ut „dictum est" necessarie ad ea respicit, quae supra de electione ministrorum in universo dicta sunt.

[9]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. δ. [10]) Ib. p. δ—16.

[11]) Ib. p. 19, 20. [12]) Ib. p. 30. [13]) Ib. p. 31.

[14]) Ib. 37. Cf. ib. 46, 50. Ne in diaconorum quidem initiatione diaconis manuum impositio conceditur Cf. ib. p. 50.

sententiam scripto mandavit, sed in liturgicis scriptis in usum Ecclesiarum, quibus praefuit, compositis pro re nata mentem suam explicuit. Praefuit autem istiusmodi Ecclesiis, quae, unam tantum urbem vel provinciam amplectentes, pro conditionis suae natura ad Synodalis Ecclesiastici regiminis formam, articulatim membris instructam, ordinari non poterant. Vel sic tamen ad unum omnia elementa, quae in hac regiminis forma requiruntur, apud nostrum deprehendi posse, statim in oculos incurret, si raptim expositum erit, quosnam in Eccl. Londinensi et Emdana ministrorum instituerit conventus, et quaenam fuerit eius de colloquiis sententia. a. *In Ecclesia Londinensi.* »Primum habetur coetus ministrorum ac Seniorum Ecclesiae omnium [1]," in quo »singuli ordine suo sententias rogantur per superintendentem [2]," ut ita »demum quisque ordine suo sententiam dicat de causa proposita iuxta conscientiae suae testimonium [3]." Porro «singulis mensibus semel habetur etiam peculiaris ministrorum, Seniorum et diaconorum coetus, in quo diaconi pariter omnes acceptarum et expensarum eleemosynarum rationem subducant [4]." Postremo »singulis mensibus habetur conventus ministrorum, seniorum et diaconorum *omnium simul* »*peregrinarum Ecclesiarum* [5]." Aditus ad Ecclesiae ministrorum conventus patet unicuique [6]. b. *In Ecclesia Emdana* similiter instituit *presbyterium*, sive consistorium, in quo conveniebant pastores simul omnes, »quibus adiuncti erant quatuor cives, viri »alioquin graves, qui a tota Ecclesia potestatem cum iis habebant [7]," — et *coetum*, sive conventum omnium pariter, qui in Ecclesia Phrisiae-orientali verbi ministri munere funguntur [8]. — c. *Colloquia.* »Tantisper dum legitima Ecclesiarum iudicia commode restitui non possunt [9]," amica inter dissentientes docto-

---

[1]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 517. [2]) Ib. p. 518.

[3]) Ib. p. 519. Cf. p. 4, 21, 283, 294, 295, 371, 393.

[4]) Ib. p. 520. Cf. p. 521. [5]) Ib. p. 523.

[6]) Ib. p. 521. Disciplina Eccl. inter ministros in simili coetu exercetur. Cf. ib. p. 524—27.

[7]) *Ep. ad Hardenb.* (*Scr. ant.* II. 1ª. 514.). Cf. *Entfelderi Ep. ad Lascum* apud GABBEMA p. 53, GERDES, *Hist. reform.* III. p. 149. UBBO EMMIUS, *Hist. Frisiae*, p. 926. BERTRAM, *Hist. Crit. J. à Lasco* II. p. 199.

[8]) EMMIUS, *Hist. Frisiae* p. 926, *Tract. de statu reip.. Fris. or.* p. 28. BERTRAM, o. l. II. p. 200—202. HARCHENROTH, *Gesch. der Moederk.* p. 23. OUTHOF, *Waarsch.* p. 495.

[9]) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1ª. 105.). Cf. ib. (ib. p. 74, 90, 103.).

res colloquia expetit, ut ex verbo Dei aut sibi invicem persuadeant, aut alii ab aliis sibi persuaderi patiantur. »Quaecunque,'' inquit, »sint inter nos dissidia, ea scripturarum censurae »subiicimus omnia; et petimus piorum sine discrimine omnium »modesta, libera atque Christiana colloquia [10]).''

§ 5. *Ministrorum auctoritas.*

De composito utimur vocabulo »auctoritatis,'' quia »potestati'' ministris concessae proprie sic dictae in Lasci Ecclesia locus non datur. Sic v. c. classicum fere de regiminis Ecclesiae potestate locum, ad ipsam Ecclesiam, non autem ad ministerium ipsius refert, ubi in Cat. Lond. solemnia Christi de clavium potestate verba in hunc modum interpretatur: »Ick ghelooue ende er»kenne, dat in de heylighe ghemeynte is eenen eeuwighen »aflaat ende versoeninghe der zonde, sodat de Heere nemmer»meer met haer in 't gerichte treden sal om hare sonden tot »verdoemenisse toe te rekenen [1]).'' Nihil praeterea in Ecclesia nisi Ecclesiae nomine et ex Ecclesiae simul auctoritate agi debet, ne soli ministri totius Ecclesiae iura sibi arrogent, nam »istiusmodi gubernandae Ecclesiae ratio pugnat cum Christi ip»sius eiusque apostolorum doctrina atque observatione [2]).'' Quicquid igitur Ecclesiae ministerium agat ipsi Ecclesiae probari debet, »nam sunt et illi homines, qui et falli possunt et fal»lere, ut omnia sane illorum probari examinarique oporteat [3]),'' salva tamen Dei ipsius verbi auctoritate [4]). Quae vel sic tamen ministerio auctoritas conceditur versatur circa doctrinam constituendam, vel conspicitur etiam in legibus ferendis et iure dicundo. a. *Circa doctrinam.* Summopere ad Ecclesiam refert, ut omnes eius socii unanimem foveant doctrinae consensum [5]), (quod tamen »in iis duntaxat valet, quae nos ex se neque digniores, »neque indigniores coram Deo facere possint [6]).'' Idcirco Ecclesiae ministris mandatum est officium, ut summam de doctrinae veritate suscipiant sollicitudinem, eamque amanter et fideliter sociis Ecclesiae tradant [7]), dummodo »in omni sua praedicatione

---

[10]) Cf. ib. (ib. p. 109.).

[1]) *Cat. Lond. mai.* p. 79. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 70.

[2]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 514. [3]) Ib. p. 70. [4]) Ib. p. 513.

[5]) Ib. p. 25, 84. 107, 164, 368, al. [6]) Ib. p. 156.

[7]) Ib. p. 507. Cf. *Tract. de Sacram.* p. 67b. *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 109.).

»solam duntaxat apostolicam doctrinam atque observantiam se-»quantur [8]." Praeire igitur Ecclesiae, instituere eam atque eruditionis suae lumen ei praeferre debent, numquam autem sententiam suam veluti decreta fidelibus imponere, nam »Ec-»clesiae ministerium, quod hoc sibi sumeret, pro Christi Ecclesia »non esset habendum [9]." Instituit igitur Prophetias noster, sive periodica ministros inter et Ecclesiae socios de doctrina colloquia, ne quando dominandi libido ministrorum ordinem invaderet [10]), sed omnia sua e verbo Dei probare semper essent parati. Etsi igitur unicuique in Ecclesia licitum sit, ipsum in ipsas fontes inquirere et nonnisi sibi in divinis credere, non tamen licentiae patrocinatur, sed »Ecclesiae censurae unusquisque et »se et sua omnia libenter submittere debet [11]." Tantum abfuit, quin »ferendis novis dogmatibus frena laxaret [12]." Ab altera parte a ministris requirit, ut »pure et cum simplicitate do-»ceant [13])," et gravitatis muneris sibi commissi bene conscii omni vi et opera innitantur, ut quam purissimam doctrinam fidelibus tradere queant. Neque igitur versione scripturae contenti sint, sed »ad graecas potissimum fontes recurrant [14])."
b. *In legibus ferendis.* »Universa Ecclesiae totiusque adeo cultus »divini gubernatio ad Ecclesiae ministros pertinet [15])," »quos »per Spiritum sctum in rectores ac gubernatores Ecclesiae (quod »divina attinet) constitutos esse [16])" censet, et quibus adeo »gu-»bernandae Ecclesiae *auctoritas* permittenda est [17])." Ea autem ratione Ecclesiam gubernent, quam »Ecclesiae cuiusque rationes »et tempora videantur postulare [18]);" et »observato duntaxat »unanimi sanae doctrinae consensu ritus sane ac caeremoniae

---

8) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 566. Cf. *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr ant.* III. 1a. 107.). 9) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1a. 108.).
10) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 107—117.
11) *Tract. de Sacram.* praef. p. 11. Cf. *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 454.). *Ep. dedic.* praem. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 32. in ipso lib. p. 507.
12) *Tract. de Sacram.* praef. p. 6.
13) *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 447.).
14) *De incarn. Christi* p. A. v. γ. Si quis scire cupiat, quomodo ipse à Lasco interpretis munere functus sit, inspiciat in eodem libello p. C. iv. β, C. v. δ, v. ε, v. ξ, v. η, v. ϑ, D. i. α, v. ϑ, G. i. β, v. δ, v. η, H. i. α, F. v. α. K. ii. β. In re critica potius versatur J. i. β, iii. γ, H. v. η, J. i. α. 15) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 508. Cf. p. 59, 273.
16) Ib. p. 509. 17) Ib. p. 510.
18) Ib. p. 16. Cf. ib. p. 18.

»aliquo modo variare" possunt [19]). c. Iurisdictio Ecclesiae tota fere versatur in legitimo disciplinae usu. »Christus enim Dom. »vult, ut eos fratres, per quos offensi aliquo modo sumus, totius »Ecclesiae auctoritate redarguamus [20])." Omnia igitur discidia nostra, nisi inter amicos componi queant, ad Ecclesiae seniores deferenda sunt, »quibus sane curam et gubernandae et conser»vandae Ecclesiae demandatam esse constat [21]);" quique adeo »pro functione sui ministerii peccatum ligant, ligatumque esse »in coelo pariter ac in terra iuxta doctrinam verbi Dei pronun»ciant [22])." In omnibus tamen ad ipsam Ecclesiam valeat provocatio; nam ideo maxime »Papam Romanensem et iuratos illius »episcopos (arguit), quod Ecclesiam hic non morantur, sed con»tempto illius iudicio nescio quam sibi iurisdictionem arrogant [23])."

§ 6. *Ministrorum officia.*

Ut constet, quaenam a Lasco Ecclesiae ministris mandaverit officia, serie videndum erit de Superintendentis, ministrorum verbi, seniorum et diaconorum munere. *Superintendentis officia.* Superintendentis ministerium »divina est in Christi Ecclesia or»dinatio per ipsummet Christum inter ipsos etiam apostolos insti»tuta [1])," quae »parem alioqui atque aequalem aliorum omnium »potestatem certo aliquo sollicitudinis ordine superat [2])," et ideo instituta est, ut »omnia in Ecclesia ordine ac decenter fiant [3])." Istiusmodi autem praesulis officia haec sunt: »ut omnes Eccle»siae ministros observet, fidem illorum commendet ac segnitiem »reprehendat [4]);" ministrorum coetum convocet [5])," sit exemplar »reliquis ministris omnibus [6])," et »in universo omnem suam »operam Ecclesiae impendat in tuenda illa [7])." — *Pastorum officia*, quae omnia »Ecclesiae aedificationi [8])" inservire debent, sunt sequentia: ut »puram atque incorruptam doctrinam V. D. Eccle»siae suae tradant [9]);" ut »divinas institutiones Ecclesiasticas, (quas

---

19) Ib. p. 19. 20) Ib. p. 272. 21) Ib. p. 273.
22) Ib. p. 360. 23) Ib. p. 384. Cf. ib. p. 381, 398, 400.
1) *Form. ac rat. min. Lond.* p. ρ.
2) Ib. p. 1. Cf. p. 513. 3) Ib. p. 1. 4) Ib. p. 2.
5) Ib. 6) Ib. p. 3. Cf. p. 5, 26, 27, 42. 7) Ib. p. 3.
8) Ib. p. η et p. 144.
9) Ib. p. ϑ. Cf. p. α, 178. *Conf. fidei* p. 22 (HERINGA 271.). *Ep. ad Bull* (*Scr. ant.* IV. 1a. 456.).

»Sacramenta vocant) fide ac diligenter administrent [10]);" ut »concreditae sibi Ecclesiae curam una cum reliquis Senioribus »habeant per admonitiones et legitimum Disciplinae Eccl. usum [11]);" ut »ora adversariorum omnium virtute atque auctoritate verbi »Dei obstruant [12]);" ut »pueros a parentibus domi instituendos »in medio coetu examinent [13])," »aegrotos visitent [14])," matrimonia solemniter consecrent [15]), et sacris ritibus praeeant in sepeliendo mortuos [16]); in explicando Euangelio metu sint expertes [17]), »semper parati atque expediti ad docendum [18])," et in prophetiis, quae dicuntur, publico et solemni omnium examini submittant doctrinam suam [19]). »Haec omnia autem prae»stent, non tanquam dominium sibi in Ecclesia usurpantes, sed »tamquam *ministri ipsius*, ut gregis exemplaria a Spir. scto in »hoc instituta [20]);" et »Christi cooperarii [21])" »dandi incre»menti opus ita Deo soli proprium faciant, ut ab illo semet»ipsi prorsus excludant [22])." — *Seniorum officia.* Seniores (qui, ut a verbi ministris distinguantur, subinde etiam »subsidiarii »seniores" ab eo dicuntur [23]), »gravitate morum prudentiaque »ac vitae integritate, deinceps et usu rerum longo ac iudicii »dexteritate, super omnia autem pietatis studio, ne cedant »verbi ministris [24])." »Coetus illorum est veluti Senatus quidam »totius Ecclesiae [25])," cuius sunt »custodes [26])" et »ceu os atque »manus apud verbi ministros [27])." »Verbi ministris perpetuo igi»tur adsint omni opera, studio, concilio atque auxilio suo et »curam sustineant totius Ecclesiae, ut in pietate, sanctimonia, »pace, ordine atque honestate gubernetur [28])," ac proinde »om-

---

10) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 2. Cf. *Conf. fidei* p. 22. (HERINGA 271). *Ep. ad Edw.* VI. praem. *Tract. de Sacram.* p. 14. ipsius operis p. 21ª, 84ª. *Ep. ad Cranm.* (*Scr. ant.* II. 2ª. 659.).

11) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 2. Cf. *Conf. fidei* p. 22. (HERINGA. 271.).

12) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 2. 13) Ib. p. 91—96.

14) Ib. p. 620—634. 15) Ib. p. 575—620. 16) Ib. p. 634—647.

17) *De missa papali* p. 11. 18) *Purg. min. Francof.* p. 30.

19) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 108—112.

20) Ib. p. κ. Cf. *Conf. fidei* p. 22. (HERINGA. 271.).

21) *Ep. dedic.* praem. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 33. *Tract. de Sacram.* p. 20b.

22) *Ep. dedic.* praem. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 33. De coelibatu cf. *Tract. de Sacram.* p. 69b. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 587.

23) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 47. 24) Ib. p. π. Cf. p. 90.

25) Ib. p. μ. 26) Ib. p. ο. 27) Ib.

28) Ib. *Ep. dedic.* p. 22. ips. op. p. α, 93—98, 296. *Conf. fidei* p. 22. (HERINGA. 271.).

»nes in Ecclesia simultates atque discidia amice componant [29]).” »Totius Ecclesiae nomine diligenter verbi ministros observent »in doctrina, vita atque conversatione illorum [30]),” et ubi res id ita postulat, »admoneant primum, deinceps destituant eos [31]).” Seniores quoque aegrotos visitare debent [32]), adesse verbi ministris in coena celebranda [33]), »longe autem primaria officiorum eorum pars circa disciplinam versatur, in cuius usu toti »semper et assidui numquam non esse debent [34]).” — *Diaconorum officia.* Diaconi, »in quibus fides et diligentia desiderari »non potest [35]),” viri sint »pleni spiritu scto, in quibus conspicua sit rerum divinarum cogitatio [36]).” Eorum munus »in »duobus potissimum consistit, nempe in sedula ac diligenti collectione atque item in fideli ac prudenti Eleemosynarum dispensatione [37]).” Sint in ministerio suo obeundo »pleni sapientiae, ne quid temere in dispensatione Eleemosynarum agant, »neve praepostere illas erogent [38]),” et »in coetu menstruo propositis coram ministris ac Senioribus acceptarum et expensarum Eleemosynarum tabulis, rationem illarum omnium subducant [39]).” Sed est quoque praeterea debiti officiique eorum »circa Eleemosynarum dispensationem, egenorum quoque fidem »ac pietatem explorare, et eos debiti ipsorum erga Deum ac »Ecclesiam diligenter admonere [40]).” Subveniant Senioribus in in s. coenae administratione [41]), una cum iisdem in Prophetiis sic dictis doctrinae puritati consulant [42]), et sua in Seniorum concessu praesentia efficiant, »ut in suo ministerio pro collegis »quodammodo seniorum ac verbi ministrorum a tota Ecclesia »habeantur [43]).” — Ad diaconorum ministerium hoc denique pertinet, ut alimenta praebeant ministris. Censet enim à Lasco »officium esse Ecclesiae erga verbi ministros, ut illis de honesta »vivendi ratione prospiciat [44]),” ac proinde statuit, ut »quisque »in Ecclesia pro sua virili adjumento sit toti Ecclesiae in alen-

---

29) *Forma ac rat. min. Lond.* p. o. Cf. ib. p. 108, 111, 115.
30) Ib. p. γ. Cf. ib. p. 515. *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 477—79.).
31) *Forma ac rat. min. Lond.* p. γ. 32) Ib. p. 620.
33) Ib. p. 257. 34) Cf. supra Pars II. Cap. III. § 4.
35) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 7. 36) Ib. p. 8.
37) Ib. p. 7. Cf. ib. p. 82. *Ep. dedic.* ib. p. 22. *Conf. fidei* p. 23a. (HERINGA. p. 273.). 38) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 8. Cf. ib. p. 51, 632.
39) Ib. p. 520. 40) Ib. p. 8. 41) Ib. p. 257.
42) Ib. p. 108, 115. 43) Ib. p. 520. 44) Ib. p. λ.

»dis fovendisque ministris ipsius [45]." Nec verbi ministris tantum alimenta ab Ecclesia erogat, sed docet, »dat alle dienaers »tot den dienst der Christelicken Ghemeynte inghestelt, als »predicanten, ouderlinghen, en diakenen tot nooddruft onder»houden werden [46]."

§ 7. *Ministrorum et ipsius Ecclesiae mutua inter se relatio.*

Omnes, qui in Ecclesia quolibet funguntur ministerio, »*zijn* »*dienaeren der ghemeynte* [1])," adeoque »omnia sua praestent, »non tanquam dominium sibi in Ecclesiam usurpantes, sed tan»quam *ministri ipsius* [2])." »Usque ad aras gerant omnibus mo»rem [3])," paratissimos semper omnibus sese praebeant [4]), in omni controversia contineant se »binnen de palen der zacht»moedicheyt en der ootmoedicheyt des Gheestes [5])," neque »quicquam sibi sumant praeter manifestum divinae voluntatis »suae in verbo ipsius testimonium [6])" sed »magna in universo »familiaritas inter ministros et Ecclesiam ineatur [7])." »Perso»nas ne respiciant, sed omnes ex aequo, qui ullo modo Eccle»siam offendunt, moneant, corrigant, ac iuxta usum Ecclesiasti»cae disciplinae reprehendant [8])." »Contemptum huius mundi »atque odium ne morentur [9])" Sint ministri »veluti exemplaria »quaedam totius Ecclesiae [10])," »gregis exemplaria a Spiritu »scto constituta [11])," qui »vitae suae integritate, pietateque »atque charitatis Christianae officiis toti Ecclesiae praelucent [12])," et »talenta sibi concredita (sive ea multa, sive pauca sint) foe»nori in suo ministerio exponunt, ut ita demum etiam coronam »gloriae aeternae in apparitione Christi assequantur [13])." Denique »gregem suum a feris noxiisque bestiis dissipari ac depasci »ne sinant [14])," bene memores »e suis manibus requirendum

---

[45]) Ib. p. 287. [46]) *Cat. Lond. mai.* p. 28. Cf. p. 36.

[1]) *Conf. fidei* p. 21ª. (HERINGA. 269) et 21ᵇ. (ib. 270.). *Forma ac rat. min. Lond.* p. 166.

[2]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. x. Cf. *Conf. fidei* p. 22ª. (HERINGA. 271.).

[3]) *Ep. ad Annam Comit.* (*Scr. ant.* III. 1ª. 496.). Cf. *Ep. ad Prasnic.* (ib. II. 2ª. 681. [4]) *Purgat. min. Francof.* p. 30.

[5]) *De missa papali* p. 11.

[6]) *Ep. ad ord. Pol.* (*Ep. de Eccl. rest. rat.* p. 100.).

[7]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 191. [8]) Ib. 47. [9]) Ib.

[10]) Ib. p. ç. [11]) Ib. p. x. [12]) Ib. p. 47.

[13]) Ib. p. 48. [14]) Ib. p. ι.

»esse omnem sanguinem in Ecclesia Christi [15]).” — Contra »totius Coetus Ecclesiastici erga verbi ministros officium est, ut »illis in legitimo ipsorum ministerio, tanquam Christi Dom. legatis, imo vero tanquam Christo ipsimet Domino per illos loquenti, »pareant [16]),” et »ab omni adversus illos murmuratione modis »plane omnibus sibi caveant [17]).” Ut porro »institutum a Christo »Domino in sua Ecclesia cultum publicum diligenter observent [18]);” ut »quisque in Ecclesia consensum doctrinae unanimem una cum »ministris retinere se ac tueri apud omnes debere statuat, et »si quid in doctrina vitave ministrorum desideret, illos prius »redarguat, quam quoquomodo eos ministeriumve illorum traducat [19]),” »publicum in Ecclesia ministerium non hominis sed »Dei ipsius ministerium esse agnoscens, illudque ut Dei ordina»tionem veneretur ac suscipiat [20]).” »Illorum admonitionibus »ultro ac reverenter fideles pareant, neque iis reclament. Ad »illos dubia sua omnia, omnia dissidia, omnesque controversias »ac simultates ante omnia referant, si quo modo amice componi »possint [21]).” »Ultro ac libenter, denique etiam liberaliter in »usum atque alimoniam pauperum conferant, memores ea, quae »habent non esse sua, sed Dei solius propria [22]).” Christiane familiam regant [23]), ipsi liberos instituant [24]), inprimis denique assidui sint in fraterno disciplinae usu [25]). — Rursus religiosissime utique circumspiciendum est Ecclesiae ministris, ne quando ipsius Ecclesiae iura ac privilegia violentur aut imminuantur, aut parum sint denique communita. Rata sit Ecclesiae auctoritas in ministrorum electione [26]). In seniorum e suo medio delectorum consessu Senatum veluti habeat in suam defensionem comparatum [27]). Numquam pervertatur ius sanctum eorum atque integrum dubia sua in prophetiis sic dictis proferendi [28]). Nihil prorsus denique fiat in Ecclesia, nisi sub suis auspiciis et aucto-

---

[15]) *Tract. de Sacram.* p. 21b. Cf. ib. p. 124b. *Ep. ad Pell. et Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 457.). *Conf. fidei* p. 13. (HERINGA. 253.).

[16]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. ϰ. Cf. ib. p. ϑ, 286. *Conf. fidei* p. 20. (HERINGA p. 270.).

[17]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 287.

[18]) Ib. p. 286. Cf. *Cat. Lond. mai.* p. 27.

[19]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 287.

[20]) Ib. p. 286.

[21]) Ib. p. ς. Cf. ib. p. 187, 286.

[22]) Ib. p. 9.

[23]) *Cat. Lond. mai.* p. 28.

[24]) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 86. Cf. ib. 87.

[25]) Ib. p. λ, 187, 288, 289, al.

[26]) Ib. p. 20 sq.

[27]) Ib. p. μ et ο.

[28]) Ib. p. 108, 109, 115.

ritate sua [29]), et ubi ministri officio aliquando desint, ipsi fideles sibi recuperent emendandorum sacrorum ius [30]). Cumprimis autem sancta atque inviolata ipsorum in Ecclesia fidelium suprema auctoritas valeat in disciplinae Ecclesiastici usu, qui a sociorum diligentia atque cura tantum non unice pendet [31]), adeo ut excommunicationis anathemate feriant ministri neminem, nisi »cum »unanimi totius Ecclesiae consensu atque approbatione [32]).

CONCLUSIO CAPITIS V.

Longe primarium in Ecclesiae organismo locum ipsi occupant fideles, in quorum coetu omnis Ecclesiae auctoritas necessarie residet, adeo, ut nihil omnino in Ecclesia agi queat, nisi totius Ecclesiae nomine atque auspiciis. Habent tamen socii divino iussu e se delectos viros, qui ab Ecclesia alimenta accipiunt, adeoque ipsius Ecclesiae ministri sunt habendi, cui omnem vitam suam atque operam insumere debent atque impendere. Summa inter eos et Ecclesiae fideles intercedat familiaritas, neque imperio eos regant sed auctoritate potius gubernent. Ne tamen divina ministrorum muneris ratio atque origo nimis Ecclesiae socios imponat et Ecclesiae libertatem vel leviter imminuat, a latere iis appositi sunt seniores, ab ipsa Ecclesia e suo medio delecti, qui strenue sociorum inviolabile ius tueantur atque vindicent. Praeest Ecclesiae ministerio superintendens, qui auctoritate ceteris par dignitate tantum prae iis excellet. Ipsum autem ministerium bifariam dispescitur, in Seniorum sc. et Diaconorum ordinem. Seniorum ordo iterum in duas dilabitur classes, quarum altera verbi ministerium sibi mandatum habet, altera morum potius censuram agit. Verbi ministri igitur divinam doctrinam ex unanimi totius Ecclesiae consensu constitutam salvam tueri atque populo annuntiare debent, parati semper unicuique rationem fidei suae reddere atque erudi-

---

29) Ib. p. γ.

30) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1ª. 98—100.). Cf. *Tract. de Sacram.* praef. p. 5, in ipso lib. 38ᵇ, 102ᵇ, 104ᵇ. *Purgat. min. Francof.* p. 27, 66. *Forma ac rat. min. Lond.* ep. dedic. p. 15. operis p. 12, 15, 509, 638. IIª. *Suppl. ad reg. Dan.* (*Simpl. ac fid. narr.* p. 44.).

31) *Forma ac rat. min. Lond.* p. γ, 311, 336, 341.

32) Ib. p. 334. Cf. p. 325, 347, 348, 353, 354, *Cat. Lond. mai.* p. 107.

tione sua praelucere. *Seniores, arctiore sensu sic dicti, in omnibus verbi ministris auxilio sint atque adiumento, peculiariter tamen morum censuram commissam sibi habeant, quam per varios disciplinae gradus comiter semper et nonnisi ex Ecclesiae auctoritate agant. Accedunt iis diaconi, qui praeter tabularum ministerium fidei quoque puritatem et honestatem morum inter pauperes promovere atque tueri pro virili debent.*

CAPUT VI.

ECCLESIAE ERGA DISSENTIENTES ET MAGISTRATUM RELATIO.

---

§ 1. *Ecclesiae erga dissentientes relatio.*

Non omnes a se dissentientes eodem loco atque numero à Lasco habuit, sed vero probe distinguendum esse censet inter eos, qui Romanensium Ecclesiae communionem expetere etiamtunc pergebant, et eos, qui inter ipsos Protestantes sive in doctrinae locis quibusdam, sive in sacris ritibus constituendis, magis minusve diversae sententiae patrocinabantur. Romanensium sacrilegam Dei colendi rationem [1]) adeo detestabatur atque in abominatione habebat noster, ut censeat, »hetzij eenen Christenen mensche gheensins gheorloft eenighe ghemeynscap in »alle zijnen godsdiensten te hebben [2]):" missam inprimis papalem, »om hórer grouwlicke godtloosheyt wille" religiose vitandam esse docet [3]). Quia tamen per ignorantiam plerumque et iudicii levitatem Romanensium sacra homines sequi solent, de ipsis huius Ecclesiae sectatoribus clementius utique sentit, ubi fatetur: »Ego homines ipsos adeo non odi, ut me iis non »cuperem prodesse posse pro tenuitate mea [4])." Similiter alios quoque exhortatur, ut ab odio se contineant et conviciis, et

---

[1]) *Ep. ad Hardenb.* (*Scr. ant.* II. 1ª. 483.). Cf. *Ep. ad eund.* (ib. II. 1ª. 487 et 488. [2]) *De missa papali* p. 21, 23. Cf. *Tract. de Sacram.* p. 141ª.
[3]) *De missa papali* p. 25. Cf. ib. p. 26.
[4]) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1ª. p. 117.).

Euangelii lumen praeferre iis malint, qui in tenebris adhuc versantur, atque oberrant [5]). Multo etiam benignius autem de iis sentire solet, qui inter Protestantes diversam nonnihil in sacris emendandis ingressi erant viam. Quantacunque sit ab illis sententiae suae differentia, pro fratribus tamen in Christo eos agnoscit, et severe vetat, »ne quis eos ab Ecclesiae societate ex»cludat [6]).” »Mansuetudine potius et patientia vincendos esse »eos [7])” arbitratur, atque ex animi sententia »meliorem iis pre»catur mentem [8]).” Et si qui sint inter eos pietate insignes, »veneratur eos memoriamque illorum sacrosanctam plane ha»bet [9]).” Ut igitur unanimis doctrinae consensus omnes aliquando coniungat, nihil unitati Ecclesiae magis prodesse statuit, quam ut sedulo venemur omnes, quaenam sit sententiarum convenientia [10]), et ea, quae dividere Ecclesiam pergunt, amicis institutis colloquiis ad amussim Euangelii [11]) componere studeamus atque dirimere; istiusmodi autem colloquiis, »in quibus libenter »admoneri se quisque patiatur ab omnibus, atque adeo repre»hendi, sicubi lapsus sit [12]),” quemadmodum ipse in libello »De missa papali” haec in fine adiecit: »Dit heb ick op het kortste »willen toedoen op de vraghe, die mij voorghestelt was, ende »bin oock bereyd straffe an te nemen, ja oock daervor te »dancken, zo zick iemand laet duncken, ick gheuoelc hierin »onrechtlick [13]).”

§ 2. *Ecclesiae erga magistratum relatio.*

Proprie magistratus in ipso Ecclesiastico ministerio munere suo fungitur, quod aperte haec eius verba sibi velle videntur: »duo sunt *in Ecclesia* a Deo ordinata ministeria, *verbi* et *gla-*

---

5) *De missa papali* p. 28. 6) *Purg. min. Francof.* p. 11.

7) *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 459.). 8) *Ep. ad Bull.* (ib. p. 482.).

9) *Tract. de Sacram.* p. 40b. Cf. ib. 36, 37, 41. *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 451, 460 et 463.). *Ep. ad Edw.* VI. praem. *Tract. de Sacram.* p. 6 et BERTRAM, *Hist. Crit I. à Lasco* I. 2a. p. 96—98.

10) *Tract. de Sacram.* p. 32a.

11) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 539—547 et 648.

12) *Ep. ad Bull.* (*Scr. ant.* IV. 1a. 452.). Cf. ib. (ib. 460.). *Ep. ad Pellic.* (ib. IV. 1a. 530.). *Ep. ad Bull. et Pellic.* (ib. IV. 1a. 463.). *De missa papali* p. 8. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 648, *Tract. de Sacram.* praef. p. 3, 11.

13) *De missa papali* p. 29.

»*dii* [1])," quae »unum simul constituunt Episcopatum *in Dei Ec-* »*clesia* concordi interim functionum disparitate ornatum [2])." »Magistratus igitur ministri gladii in Ecclesia Christi sunt perinde »atque doctores atque pastores sunt verbi divini ministri [3])." Quia tamen in libello suo »Forma ac ratio ministerii Londinen- »sis Ecclesiae" accuratissime à Lasco tam verbi ministrorum, quam seniorum et diaconorum divisionem, electionem omnia denique officia et universam totius muneris rationem ordine exposuit et definivit, magistratus vero ad Ecclesiam relationem diserte tradidit nusquam, et nonnisi obiter in transitu hic illic attigit, nobis quoque extra Ecclesiasticam societatem gladii ministerium reiiciendum esse videbatur. Ceterum »magistratus quoque a »Deo sunt ordinati [4])," adeoque »Dei vocantur ministri [5])," qui »Dei iudicium exercent [6])," »Eiusque in terris imaginem quam »proxime referunt [7])." Gravissima autem, quae iis incumbunt, officia haec sunt; »dat sy den dienst des woorts ende hare op- »rechte dienaers in de Ghemeynte veruorderen ende voeden. Eñ »de woluen ende valsche leeraars niet lijden [8]). Dat sy de on- »ghehoorsaumheyt ende opentlicke boosheyt, na den bruycke »des sweerts, die haar gheghcuen is, straffen [9]). Dat sy besor- »ghen dat alle instellinghen des Heeren reynlick, getrouwlick »ende weerdelick onderhouden werden, ende straffen alle deghe- »ne, die deselve verachten, vervalscen, of onderstaan te niet te »brengen [10]). Dat sy een yeghelicken het syne gheuen ende de

---

1) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1ª. 97.).

2) *Ep. ad Edw.* VI. praem. *Tract. de Sacram.* p. 14.

3) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 183. Cf. ib. p. α, 25, 74. *Tract. de Sacram.* p. 62ª. *Ep. ad Hardenb.* (*Scr. ant.* II. 1ª. 153.). *Conf. fidei* p. 22. (HERINGA. p. 272.).

4) *Cat. Lond. mai* p. 33. Cf. *Form. ac rat. min. Lond.* p. 508. *Ep. ad Annam Comit.* (*Scr. ant.* II. 1ª. 493.). *Ep. ad Sen. Pol.* (ib. III. 1ª. 79.).

5) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 183. Cf. *Cat. Lond. mai* p. 33.

6) *Ep. ad Annam. Comit.* l. l. in nota 4.

7) *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1ª. 79.). Cf. ib. (ib. 132.). *Conf. fidei* p. 21. (HERINGA. 270.).

8) *Conf. fidei* p. 21. (HERINGA. 270.). Cf. *Ep. ad Annam Comit.* (*Scr. ant.* II. 1ª. 493, 4.). *Ep. dedic.* praem. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 83, 84. *Ep. ad Sen. Pol.* (*Scr. ant.* III. 1ª. 74, 78, 88, 90, 118.).

9) *Conf. fidei* p. 21. (HERINGA. 270.). Cf. *Tract. de Sacram.* p. 62ª. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 183, 508. *Cat. Lond. mai* p. 33.

10) *Conf. fidei* p. 21. (HERINGA. 270.). Cf. *Ep. ad Hardenb.* (*Scr. ant.* II. 1ª. 513.). *Ep. ad Sigism.* (ib. 115.) *ad Lenthium* (ib. IV. 2ª. 647.). *Ep. ad Edw.* VI. in *Tract. de Sacram.* p. 14—17.

»ghemeyne eerbaarheydt in de ghemeynte ter stichtinghe be»scherme [11]); eñ dat sy de ghemeyne vrede der Ghemeynte in »alle godtsalicheyt bescherme ende beware [12])." Caveat tamen magistratus, »ne se in curam doctrinae nisi admonitus ingerat [13])," neque »ipse pro suo arbitrio leges rituum in cultu Dei praesci»bat: sed contra legem Dei a sacerdotibus requirat; et quae illi »iuxta legem Dei observanda esse docent, ea ut iuxta traditum »sibi gladii *non dominatum*, *sed ministerium* observari curet [14])." »Absque ulla qualicunque Ecclesiae servitudine [15])," »*Ecclesiae* »*minister* sit *circa* causam religionis [16])," »*Ecclesiae custos* dun»taxat, et *non Dominus* [17])." Contra Ecclesiae ministri »omnibus »commendent ac promoveant magistratus auctoritatem apud to»tam Ecclesiam [18])," et in precibus publicis solemniter vota pro eorum salute nuncupent [19]). Ecclesiae autem socii pium magistratum summa veneratione prosequantur, parati semper, »een »beeldt Gods in haer te kennen ende haer willichlick ende vro»lick gehoorsaem te wezen [20])," »non poenarum quidem metu sed »propter Deum ipsum [21])." Praestent autem fideles tam submissam obedientiam nonnisi usque ad aras, et ea tantum mandata rata habeant atque fixa, quae e Dei verbo petita sunt; »want »is 't dat zy ons yet ghebiedt, dat tegen d' woort ende wille »Gods is, dat werdt in dit ghebodt van de ghehoersaemheyt »niet begrepen [22]);" »ja, sulcke ghehoersaemheyt teghen Godt »werdt niet gheboden, maer verboden [23])."

---

11) *Conf. fidei* p. 21 (HERINGA. 270.). Cf. *Tract. de Sacram.* p. 62ª. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 183.

12) *Conf. fidei* p. 21. (HERINGA. 270.). Cf. *Ep. ad Henr. Pal.* (*Scr. ant.* II. 2ª. 724.). *Ep. ad Bull.* (ib. IV. 2ª. 459.).

13) *Ep. ad Lenth.* (*Scr. ant.* II. 2ª. 626.).

14) *Forma ac rat. min. Lond.* p. 508.

15) Ib. p. 566. 16) Ib. p. 511. 17) Ib. p. 508.

18) Ib. p. 510. Cf. p. *α*. 19) Ib. p. 74. Cf. p. *γ*, 25.

20) *Conf. fidei* ·p. 21. (HERINGA 270.). Cf. *Ep. ad Sigism.* (*Scr. ant.* III. 1ª. 132.). *Forma ac rat. min. Lond.* p. 76.

21) *Ep. ad Sigism.* (*Scr. ant.* III. 1ª. 132.). Cf. *Ep. ad Edw.* VI. praem. *Tract. de Sacram.* p. 14. *Cat. Lond. mai.* p. 30. *Forma ac rat. min. Lond.* p. 511. 22) *Cat. Lond. mai.* p. 31.

23) Ib. p. 32. Cf. *Conf. fidei* p. 21. (HERINGA. 271.).

CONCLUSIO PARTIS II,

QUA BREVI I. A LASCO DE ECCLESIA SENTENTIA EXPONITUR.

Ecclesia ab initio mundi condita et universo mortalium generi destinata, mox Abrahami semini inhaesit, atque in Israëlitarum deinceps natione inclusa est, donec per Christi in terris apparitionem laete rursus in universum humanum genus erupit, et mirum in modum instaurata est atque innovata. Est Ecclesia natura sua libera ac fraterna societas Dei liberorum, (quos Christi spiritus in charitate Christiana arctissime coadunat) quae hoc sibi propositum habet consilium, ut universum mortalium genus Ecclesiasticae societatis communione veri bonique amore imbuat, perducat ad Sanctimoniam, et sic demum aeterna aliquando beet salute. Quae olim igitur sancta, una atque catholica evasura est Ecclesia, i. e. quae omnes simul aliquando terrarum gentes indivulso amoris vinculo in vitae sanctitate intime consociabit, nondum perfectum suum assecuta, omni vi atque impetu innititur, atque tendit indefesse, ut magis in dies una fiat, sancta et catholica. Hominum in hisce conaminibus Christi divina potentia sucurrit, qui spiritu suo sanctissimo Ecclesiae praeest, regit eandem atque perficit et emendat. Sed habet tamen Ecclesia in se quoque, quo propaget se atque extendat ulterius, si sc. socii invicem sibi adiumento esse velint atque exemplo, et tam vitae sanctitate, quam amoris mutua praestatione, ut et indefessa Christi confessione, erigant se invicem, adlevent atque excitent alios alii, ut propius in dies ad perfectitudinis metam perveniant. Habet quoque Ecclesia Euangelii praedicationem sibi commissam, habet quoque a Christo institutas sacras actiones, quae ad Deum cor erigunt, et solemnitate sua operante sp. scto potenter inserviunt nostrae cum Christo communioni, quam et preces unanimiter conceptae, et hymni ab omnibus simul decantati instillant atque promovent. Denique Ecclesia disciplina sua utitur, (quam omnes pariter Ecclesiae socii, sine ulla cuiuspiam exceptione exercent), qua compescat quod pravum est atque officit decori, a vilibus contineat alium, alium ne iterum peccet, pudore suffundat poenaque deterreat a malo, eos denique a societate sua semoveat pro tempore, quibus nihil sanctum est nec honestum. Omnes porro in Ecclesia socii adscripti pares sunt inter se eodemque prorsus loco habendi; et quemadmodum omnes talenta sibi concredita in communem Ecclesiae salutem foenerare debent, sive pauca sint ea, sive multa, sic omnes quoque

summma fruuntur libertate; neque ullius in Ecclesia dominatio ferri ullo modo potest. Sunt tamen paucissimi quidam, vera pietate et ea, quam virtus affert, nobilitate insigniores, quos ipsi socii sibi in ministerium eligunt, et quibus ea mandantur, quae a certis quibusdam melius, quam ab omnibus simul peraguntur. Seniorum consessui, pro varietate muneris in verbi ministrorum et presbyterorum ordinem distincto, divini verbi praedicatio una cum morum censura committitur; qui una cum diaconis, cui tabularum ministerium mandatum est, sub praesidio superintendentis ex Ecclesiae auctoritate iis dicunt, leges scribunt, et Ecclesiae corpus gubernant atque defendunt. Prospicit iis Ecclesia de honesta vitae ratione, veneratur eos atque diligit tanquam primarios cooperarios, qui omnem vitam suam Ecclesiae saluti impendunt. Hi contra nil sibi potestatis arrogent, et Ecclesiae auctoritate potius, quam suamet ipsorum satagant, memores semper, se Ecclesiae ministros esse, non vero dominos. Arcte quoque cum Ecclesia coniunctus est magistratus, qui ipsius Ecclesiae sociorum minister proprie, circa sacra iure fruitur, cuique igitur obsequium praebent fideles usque ad aras, neque id legis sive poenae adacti timore, sed libera sua voluntate divino iusso parentes. Qui sunt in Ecclesia ditiores inopiae pauperum subveniant, qui laeta fruuntur valetudine sublevent aegrotantes; omnes denique Ecclesiae socii, suae imbecillitatis penitus sibi persuasi, honorificentissime sentiant de iis, qui quoquo tandem modo ab Ecclesia dissentiant, et rite aestiment, certam in omnibus veritatis cognitionem nemini tam firmiter constare, ut non posset ab aliis iure reprehendi.

PARS III.

J. CALVINI ET J. À LASCO DE ECCLESIA SENTENTIARUM INTER SE COMPOSITIO.

Ad postremam disquisitionis partem oratio pervenit, et postquam igitur in praecedentibus accurate satis examinatum, nec, ut opinor, sine ulla fide rerum expositum est, quaenam Calvini Lascique de Ecclesia sententiae fuerint, iam instat ut utriusque reformatoris sententiam caute ac subtiliter inter sese conferamus. Multum negotii illa compositio nobis non facesset. Etenim, quicunque obiter modo ea, quae supra relata sunt ac digesta perlustrare velit, actutum ingens ac notabile veluti e longinquo iam dispiciet discrimen, quod ultro sese prodit. Ne tamen cum gratia videamur aut ambitione in scribendo esse versati, et procul e se invicem e partium studio disiecisse, inter quos nonnisi levis intercedebat differentia, adeoque de industria auxisse discrimen, quo seiungebantur, ac dilatavisse praeter modum, ultro libenter fatemur, adduci posse haud tam pauca e Lasci opusculis, quae Calvinum potius redolere, non prorsus quoque in Calvini scriptis talia desiderari, quae Lasci indolem potius referre videantur. Nec mirum. Non semper enim et ubique locorum sibi constare solent mortales, et ubi aliud agendo praesertim obiter aliquid tangunt, illuc toti abrepti, in quo occupati sunt, aut minus accurate verborum, quibus utuntur, ponderant vim, aut, quod peius etiam, incauti subinde in vetustum errorem relabuntur. Ad talia autem provocare nefas esset, ubi duo-

rum hominum sententias inter se componere velis. Non enim, quid vetus fama atque traditio per eorum os, iis insciis, nobis referat, inquirimus, sed vero, quid utrubique proprium sit ac privum, quid premere potissimum solent, ubi dedita opera locum, de quo sciscitas, tractaverunt, quid de composito neget alter, quod alter affirmat, quid denique nonnisi haesitabundi et summa cum dubitatione protulerint, tunc ante omnia diligentissime nobis perscrutandum erit. Quodsi quis vel sic tamen praeoccupatam sententiam nostram fuisse, et aequo plus Calvinum odisse nos, favere autem Lasco opinetur, libenter ultro fatemur, Ecclesiam, qualem delineavit nobis Calvinus, quamvis animi, quam in ea describenda prodit, fortitudo haud raro in admirationem nos rapuerit, nihil tamen habere, quod arrideat nobis, quod displiceat, multum, adeoque Lasci Ecclesiam tanto nobis in deliciis fuisse magis, quantum a Calvini Ecclesia longius recederet. Restat igitur, ut sedula compositione diligenter expendamus, quaenam inter utriusque sententiam disconvenientia deprehendatur, in qua re hanc perspicuitatis causa sequemur rationem, ut eodem observato ordine, quem in praecedentibus tenuimus, serie inquiramus, quatenus utriusque sententia differat de Ecclesiae origine, notione, via ac ratione, qua operatur, sociis ac regimine, deque eius ad dissentientes et magistratum relatione. Deinde ea, quae in singulis discrepantia a se invicem erunt deprensa, in unum collecta, ad certa quaedam capita revocabimus, ut sic demum enucleate omnis diversitatis detegatur fons.

§ 1. *De Ecclesiae origine atque historia.*

Primo obtutu nihil prorsus a se invicem distare videntur Calvini Lascique de Ecclesiae origine atque historia sententiae, nihil esse omnino, quod affirmat alter, quin alter quoque libenter calculum suum addidisset. Uterque enim Ecclesiae incunabula ad mundi originem revocat, ad Deum auctorem uterque Ecclesiae ortum refert, uterque a Christi inde adventu renovatam esse eandem, et aliquam certe commutationem subiisse existimat, utrique denique huius Ecclesiae historia perpetua est ac numquam interrupta Deum inter et Antichristum luctatio. Sunt haec omnia fixa rataque veluti placita, quae cum omnibus sui temporis Theologis Calvinus quoque et à Lasco a veteribus dogmaticis mutuaverant. Vel sic tamen prae magna in hisce inter

utrumque convenientia nefas esset levius negligere discrimen, quod in se non tam magni ponderis, quia tamen per omnem utriusque Ecclesiologiam serpit, observatu perquam dignum esse videtur. Quum sc. nostro demum tempore senserunt Theologi Ecclesiam non esse notionem dogmaticam, sed vero apparitionem historicam, arcte cum Christi adventu coniungendam, in Lasci Ecclesiologia haec illa iam adsunt vestigia, quae leviter idipsum praesensisse eum arguere videntur. Multo maiore enim discrimine ab Ecclesia Christiana divellit Israëlitarum Theocratiam, et indivulsum fere nexum, quem inter utramque aetas illa interponebat, diffudit atque laxavit, et quum »antea tenebrae regnarent ubique »et nebulis essent obvelata omnia, post Christi adventum laete »quaquaversum veritatis lux effulsit." Quia tamen plerumque utriusque foederis Ecclesiam inter se arctius solet coniungere, ab altera parte neminem facile inter reformatores invenies, qui, quum a veteri oeconomia prorsus Ecclesiam separandam esse nondum intellexisset, ut tamen cum Christo indissolubiliter Ecclesia remaneret coniuncta, tam arcte cum Christo Israëlitarum quoque Ecclesiam consociavit. »Iam vetus Ecclesia plenam ac »salutarem habebat cum Christo Domino communionem in cor- »pore ac sanguine ipsius [1]." Qua in re, etsi malam ingressus sit viam, meliora tentavisse tamen in laudem ei cedat.

§ 2. *De Ecclesiae notione.*

Ecclesia aut in sua cum Deo, aut in sua cum hominibus relatione spectari potest. Quemadmodum enim ipsa religio, sic quoque omnes, quae cum ea coniunctae sunt notiones, adeoque Ecclesia etiam, medium veluti locum inter res divinas occupant et humanas. Potest igitur qui istiusmodi rerum notiones investigare cupiat, in duplicem incidere errorem, si aut humanarum rerum incuriosus divinas aequo plus premit, aut contra divina parum curans ac fere negligens humana praeter modum extollit. Solent igitur Theologi pro universa, quam in disciplina sua tenuerunt, mentis directione apte satis in Theologos κατ' ἐξοχήν atque Anthropologos distribui. In nostro quoque causa generalis haec distinctio egregie nobis succurrit, et longe diversa, quam

---

1) *Tract. de Sacram.* p. 128^b.

tuitus est uterque, Ecclesiae notio luculenter illustrabitur, si in antecessum observatum erit Calvinum in Theologicis theologum potius, à Lasco contra anthropologum esse dicendum [1]. Calvinus igitur Ecclesiam unice propemodum in eius cum Deo coniunctione spectavit, hominum indole atque natura prorsus fere neglecta, quum contra à Lasco ad ipsos homines ante omnia attendendum esse censuit. Calvinus theologus sacram scripturam efferre solet, tanquam pretiosissimum thesaurum, quo divina oracula atque mysteria continentur, tanquam codicem decretorum ac legum coelitus promulgatarum, quas in aeternum summa sancivit maiestas. à Lasco, quamvis saepius relapsus sit, atque pro parte in vetusto haeserit errore, penitius tamen sensit laetum in ea de hominis per Christum a peccato redemptione nuntium prae ceteris aestimandum esse, legalitatis principio misso atque abrogato. — Calvinus theologus statuit ab omni inde aeternitate pro libero suo arbitrio descivisse Deum, quinam coelestis beatitudinis fierent aliquando participes, quinam essent in aeternum exitium reprobati; quum à Lasco contra hominum respectu Deum habuit patrem, qui ingenti suo amore bene cupit universo humano generi. — Hisce consentaneum Calvinus theologus duplicem esse statuit Ecclesiam, quarum altera coram Dei solius conspectu Ecclesia diceretur, quaeque adeo corpus esset electorum; altera, in qua reprobati et hypocritae electis essent admixti, institutum potius habendum extrinsecus in medium gratiae a Deo hominibus impositum. à Lasco homines certe magis spectavit, quum Ecclesiam definivit fraternam Dei liberorum societatem. — Idcirco Calvinus theologus matris imagine in Ecclesia depingenda maxime delectatur, quae concipere nos debet, nutrire suis uberibus, sinu suo fovere, atque educare; vel etiam Domui Dei eam aequiparat, sive denique scolam eam habuit, in quam congregari vult Deus electos suos, ut fide imbuti divinam doceantur doctrinam. à Lasco contra Ecclesiam nobis proponere solet tanquam corpus Christi, i. e. societatem eorum, qui tam arctissimo vinculo cum Christo et per Christum invicem connexi sunt, quo unius corporis membra coniuncta esse solent; vel etiam Ecclesiam celebrat tanquam Christi testem, sive socie-

---

[1]) In secunda commentationis meae parte dedita opera hoc demonstraveram. Quum autem talis disputatio ad historico-psychologicam explicationem, vel si mavis, ad diiudicationem pertinet, in hanc nostram inquisitionem inseri non poterat.

tatem eorum, qui Christo Domino nostro perpetuum testimonium praebent. — Calvinus igitur Ecclesiae, quippe instituti, fundamentum divinam doctrinam esse statuit, quam in sacra scriptura deposuit Deus, unde sequitur vinculum, quo Ecclesiae socii in unum coniunguntur corpus, nihil aliud esse, quam fidem doctrinae illi praestitam, à Lasco contra Ecclesiae, quippe societatis, quo coadunetur, compagem deprehendisse sibi videtur in ipso Christo, cuius spiritus divina sua virtute necessarie consociare eam debet atque coniungere in unum. — Calvinus porro theologus Ecclesiae hunc a Deo inditum esse finem existimat, ut Dei maiori gloriae promovendae inprimis inserviat, electosque eo tantum pacto aeterna beet salute, quod docili animo et absque omni tergiversatione divina mysteria cum fide et reverenter excipiant; quum contra à Lasco hunc Ecclesiae finem esse statuit, ut eius socii in dies magis communionis cum Christo Domino nostro fiant participes, donec universum aliquando mortalium genus intimo amoris vinculo cum Christo conglutinati ad Deum reduces aeternam salutem adipiscantur. — Calvinus theologus Ecclesiam, quippe institutum externum, adesse docet, simulatque verbi ministerium et sacramentorum administratio rite peraguntur. Easdem quoque notas à Lasco requirit, sed vero negat Ecclesiam adesse, ubi deest disciplina, vitae sanctitatis vindex atque fautrix, nisi fides sit conspicua, et socii ipsius forti animo Dominum suum confiteantur. — Calvini Ecclesia doctrinale institutum; Lasci moralis societas potius est habenda. — Calvini Ecclesia una est, quippe unius divinae doctrinae confessione concors atque unanimis; Lasci Ecclesia una est fraterni amoris vinculo in unum corpus consociata. — Calvini Ecclesia neque sancta est, neque sancta evadet unquam, quoniam usque ad supremum iudicium cum electis commixti reprobati in Ecclesia versabuntur. Lasci contra Ecclesia sancta quidem nondum est, sed vero assiduo disciplinae usu sancta aliquando evadere poterit. — Est Calvini Ecclesia ab errore vacua, adeoque falli non potest, quum e contrario à Lasco humanae imbecillitatis in Ecclesia delineanda memor fuit semper. — Statuit igitur Calvinus extra Ecclesiae gremium nullam esse salutem, quum à Lasco de iis quoque, qui Ecclesiae communione destituti sunt, aeternae salutis spem sustinere ausus est. Calvini denique Ecclesia Catholicitatis quidem nomen prae se fert, reapse tamen, si quae alia, particularis habenda est, quum contra Lasci Ec-

clesia natura sua Catholica est, sive universalis, quippe universo humano generi destinata.

§ 3. *De via ac ratione, quibus Ecclesia operatur.*

Calvinus, qui externam Ecclesiae notionem magnopere urget, media quoque, quorum usu progrediatur Ecclesia, faciatque progressus usque ad metam, tantum non unice externa esse censuit. Contrarium apud à Lasco valet, qui etsi externa quoque adminicula suo aestimet loco, et summam de integro illorum statu suscipiat sollicitudinem, internam tamen ac spiritualem potius Ecclesiae indolem premit, adeoque ad interna potissimum ac spiritualia Ecclesiae dona recurrit, fieri non posse ratus, quin candida morum honestas alios quoque alliciat deterreatque a malo, quin sedula amoris praestatio mutuum amorem necessarie provocet, atque excitet potenter, quin inconcussa denique Christi confessio eximia, quam prodit, animi fortitudine alios quoque rapiat in admirationem religionis, quae tales gignat sectatores, tamque intrepidos eos faciat ad pericula subeunda. Ad haec itaque media prae ceteris nos amandat à Lasco, qua in re ingenti sane discriminis spatio a Calvino distat, quoniam ea, quae recensuimus, Ecclesiae adminicula hoc quoque privum sibi habent atque proprium, quod usus eorum non ad certos quosdam, peculiariter ad id designatos, pertineat, sed vero ad omnes promiscue, qui in Ecclesia societatis iure fruuntur. Contra Calvinus, qui institutum potius Ecclesiam habuit extrinsecus a Deo nobis impositum, ad istiusmodi unice fere nos revocat Ecclesiae propagandae adminicula, quae natura sua externa potius habenda sunt, ad verbi sc. ministerium, solemnem summi numinis cultum, sacramentorum administrationem et disciplinae Ecclesiasticae usum, quae in Lasci quoque Ecclesiologia tanquam externa ad salutem media recensentur. — Verbum igitur divinum assidue praedicari iubet Calvinus, quod, in sacra scriptura reconditum, patet unicuique; annuntiari iubet populo doctrinam tam veteris, quam novi Testamenti, qoud utrumque eodem prorsus loco habet, tantaque veneratione prosequitur, ut quamlibet totius Codicis enuntiationem veluti classicum testem citare solet. Quod peius autem, sacrae scripturae doctrinae suam mox ipsius Ecclesiaeque, quam condidit, doctrinam audacter substituit, et Catechismum, quo illa exponebatur, absque s. scrip-

turae testimonio tradi fidelibus iussit. — Melius sane à Lasco Christianismi indolem perspexit, qui vetat ad hunc illumve s. scripturae locum promiscue provocare, sed in omnibus totius scripturae consensum probe observandum esse existimat. Itaque veteris testamenti libros, (quibus nonnisi umbrae typicae continentur, quae ad Christum venturum nos monstrant), inque iis prophetarum in primis doctrinam magni quidem facit, et tanquam Dei voluntatis revelationem veneratur, eo tamen pacto, ut dicta eorum Christi ipsius doctrinae approbentur, qualem tradiderunt eam nobis Euangelistae et Apostoli. Totius autem Euangelii summam Petri solemni de Christo confessione contineri censet, quae, ut et ipsum Euangelium, exclusis reliquis omnibus in publicis concionibus dicendi materiem sacro oratori praebere debet, et in Catechismi quoque explicatione desiderari non potest, ut verbi Dei auctoritas salva constet atque incolumes. — Austera regnat apud Calvinum in sacro cultu sobrietas, et stabilis caeremoniarum forma in laude habetur. à Lasco sobrietate cultus Calvinum etiam egreditur, sed damnat sacrorum rituum nimiam stabilitatem, quippe conscientiae libertati damnum inferentem, et procliviorem ad superstitionem. — Calvinus sacramenta in Ecclesia celebrare iubet, tanquam externa symbola, quae, si cum fide usurpantur, id nobis reapse impertiunt, quod significant. Aquae tinctione inseruntur infantes in Ecclesiae corpus, et in coena sacra, dum pane utimur ac vino, Christus Dominus carnem suam ac sanguinem spiritualiter in verum animae cibum iis exhibet, qui cum fide coenae celebrationi adsint. Vere salutifera igitur vis sacramentis inhaeret, quare absque illorum usu aeternae salutis ad plenum usque particeps reddi potest nemo [1]). Aliter censet à Lasco, qui ipsas sacras actiones (aquae sc. *tinctionem* et panis *distributionem*), non autem sacramentorum elementa, symbola esse putat mysterii, cuius promissio fidelibus obsignatur. Negat per Baptismi usum inseri nos in Ecclesiae communionem; negat Christi carnem ac sanguinem, tanquam res corporeas, fidelium animis in cibum ullo modo exhiberi posse. Aquae tinctio insitionem

---

[1]) Cf. inprimis haec eius verba: Sic tenendum est, „communicationem in „coena confirmari et augeri. Tametsi enim tum in Baptismo, tum in Euan„gelio nobis exhibetur Christus, eum tamen non recipimus totum, sed ex parte „tantum." Quae verba citantur apud EBRARD, *das Dogma des H. Abendmahls, und s. Gesch.* II. 454.

nostram attestatur tantummodo; in s. coenae usu fidelium cor sursum evehitur, ut spiritu scto coöperante, divinam induat qualitatem, quam de se in genus nostrum contulit Christus. Sunt igitur sacramenta in se omni salutifera vi destituta, adeoque omittantur potius, quam profanentur, ubi rite peragi nequeunt. Hoc denique nomine in sacramentorum administratione a Calvino distat à Lasco, quod frequentem illorum usum, quem damnat hic, probat ille. — Disciplinam Ecclesiasticam Calvinus in doctrinae tutelam primo loco institutam esse censet, ut vi exigatur fides, quam Ecclesiae socii divinae doctrinae praestare debent; deinde morum quoque honestati inservire eam potenter ad malitiam confringendam existimat. Eius administrationem solis Ecclesiae ministris mandat, Ecclesiae in hisce auctoritate prorsus fere neglecta. Contra à Lasco strenue ipsorum sociorum disciplinae exercendae ius vindicat, et nullas ab Ecclesiae ministris infligi posse poenas statuit, nisi ex ipsius Ecclesiae auctoritate. à Lasco porro, qui summae sentiendi cogitandique semper libertati patrocinatur, ad doctrinam nusquam fere eam retulit, sed rigidissimo eius usu pietatem unice ac veram iustitiam inter Ecclesiae socios tueri cupit atque propagere.

§ 4. *De Ecclesiae sociis atque regimine.*

E Calvini sententia Ecclesia scola proprie habenda est, in duplicem distincta ordinem, quorum docet alter, alter vero docetur. Ordo, qui docendi munere fungitur, (pastorum sc.) longe primariam in Ecclesia sedem tenet, et ab ipso Deo institutus medium veluti locum Deum inter occupat atque fideles, qui nullo fere numero aut loco in Calvini Ecclesia habentur. In Lasci contra Ecclesia, quae verae societatis indolem refert, Ecclesiae socii ad unum pariter omnes sine ullo omnino discrimine eodem prorsus loco ac pares inter se aestimantur, neque igitur iis, quibus Ecclesiae ministerium mandatum est, sed ipsi Ecclesiae corpori ipsisque eius sociis primarius in Ecclesiae organismo assignatur locus. — Hisce consentaneum nemo est in Lasci Ecclesia tam tenuis, tam humilis tamque nihili fere in Ecclesia homuncio, quin pro tenuitate sua coöperare debeat ad communem Ecclesiae salutem promovendam, et istiusmodi tantum munera ab Ecclesia ministris suis peculiaritur committantur, quae a singulis quibusdam melius, quam ab omnibus simul peragantur. In eo prae-

sertim à Lasco praeclare Ecclesiae societatis indolem tuitus est, quod in doctrina quoque constituenda aliquas certe partes ipsis sociis tribuerit; quum contra Calvinus quicquid in Ecclesia faciundum sit, soli Ecclesiae regimini procurandum mandavit, hoc tantum ipsis sociis relicto, ut docili atque submisso animo doceri se patiantur. — In Calvini igitur Ecclesia verbi divini ministri, quippe a Deo instituti, ipsius Dei habentur vicarii, pivinae maiestatis organa, qui in divina sua virtute atque potentia sacrosanctam Dei voluntatem hominibus annuntiant. Apud à Lasco contra verbi divini ministri ipsorum Ecclesiae sociorum ministri censentur, quorum primarii veluti coöperarii esse debent. — Calvinus reliquis Ecclesiae praefectis longo intervallo pastores anteposuit, tanquam peculiarem, dignitate sua atque auctoritate prae ceteris excellentem ordinem, cui, una cum Doctorum ordine, exclusis reliquis omnibus, doctrinae cura mandata est. E contrario in Lasci Ecclesia nullum prorsus discrimen, quod ad muneris dignitatem inter verbi ministros et presbyteros intercedit, quos communi »Seniorum" nomine vulgo complectitur. Doctoribus nullus peculiaris in Ecclesia locus conceditur, et doctrinae cura presbyteris quoque atque diaconis aliquatenus certe competit. Coöptatione in Calvini Ecclesia ab ipsis pastoribus futuri collegae sibi adsciscuntur, salva anctoritate magistratus, qui ipse e suo medio seniores eligit atque diaconos. Nulla autem ipsorum fidelium in ministris Ecclesiae praeficiendis habetur ratio, nisi quod tacitus eornm consensus in pastoribus eligendis per ludibrium valet. — Longe contrariam sententiam à Lasco tulit, qui religiosissime suffragii ius Ecclesiae sociis vindicat, statuitque seniores una cum diaconis ab ipsis fidelibus e suo medio eligendos esse, ut muneris quoque ius ipsi Ecclesiae inviolabile constet. Manuum porro impositionis in ministris initiandis ritus, si Calvinum audias, a solis pastoribus peragi debet, neque sacramenti nomine tam plane esset indignus; quare non interrupta etiam verbi ministrorum successio summopere ad Ecclesiam refert. Eundem quoque ritum à Lasco ob solemnitatem suam retinuit, ita tamen, ut citra ullam superstitionem a verbi ministris una cum reliquis Ecclesiae senioribus celebretur. — Clavium potestas a Calvino solis pastoribus defertur, qui, quantum intra scripturae fines se contineant, ab errore vacui sunt, et magna in Ecclesia potestate gaudent, quae et in doctrina constituenda, et in legibus ferendis conspicitur, inprimis autem in

iurisdictione sese prodit. Contra secundum Lasci sententiam ligandi solvendique potestas a Christo ipsi Ecclesiae corpori concessa est, et senioribus, nonnisi tanquam Ecclesiae organis, competit, quibus una cum diaconis ab ipsis Ecclesiae sociis honorifica defertur auctoritas in discidiis, quae de doctrina oboriantur, amice e verbo Dei componendis, in externis Ecclesiae commodis ordine ac decenter moderandis, et in disciplinae Ecclesiasticae usu comiter peragendo; ita tamen, ut nihil in Ecclesia ratum habeatur, nisi ipsius Ecclesiae suprema auctoritati approbatum sit, et Ecclesiae praesules nulla vi, nisi, quae in exemplo posita est, dignitatem suam tueantur. In Calvini Ecclesia pastores omnes eodem prorsus loco habentur, etsi ipse in Ecclesia Genevensi perpetuo consistorii praesidis munere functus est. à Lasco superintendenturam in Ecclesia sua instituit, ut ordine omnia in Ecclesia peragerentur. Si denique de relatione quaeritur, quae Ecclesiae regimini cum ipsis eius sociis intercedere debet, Calvinus eandem ab Ecclesia erga pastores deposcit reverentiam, qua genuini discipuli magistrum suum prosequi solent. à Lasco autem nihil ardentius exoptat, quam ut summa inter Ecclesiam eiusque ministros intercedat familiaritas, eademque plane Ecclesiae socii officiant ministros suos observantia, qua liberi parentes suos pro debito suo atque officio colere a Deo iubentur. Ex utriusque autem unanimi consensu omnis in Ecclesia auctoritas sive potestas a Deo ita ordinata est, ut filium suum Ecclesiae in caput praefecerit, qui divina sua virtute sustineat eam atque promoveat, regat eandem, tueatur atque custodiat. Vel sic tamen in magna utriusque sententiae convenientia non tam leve discrimen delitescit. Quum enim Calvinus ad ipsius Dei saepius in universam Ecclesiam inque singulos eius socios efficientiam recurrit, à Lasco in Ecclesiae gubernatione describenda ubique locorum per Christum mediatorem ad divinam omnis potestatis fontem adducere nos solet, et Christum *iuxta* Patrem suum ex eodem maiestatis solio regere Ecclesiam confitetur, quum e contrario apud Calvinum utriusque potestas coaluit, et *per* Christum ipse Deus Ecclesiae prospicere dicitur.

§ 5. *De Ecclesiae ad dissentientes et magistratum relatione.*

Quicunque in divina doctrina constituenda a se dissentiret, necessarie Calvinus in odio habebat, quoniam certam atque indubitatam huius doctrinae cognitionem a Deo nobis concessam

esse opinabatur. Etenim claram atque perspicuam, denique absolutam quoque voluntatis suae revelationem in s. scriptura Deus recondidit, unde sequitur »neminem vel minimam guttam rec»tae sanaeque doctrinae percipere posse, nisi qui scripturae »fuerit discipulus [1])." Quia tamen in scripturae interpretatione de genuino Verbi Dei sensu disceptari posset, spiritus sui testimonio Deus cordibus nostris voluntatem suam obsignat. Tali autem illuminatione »solos dignatur electos, quibus talis dehinc »oritur persuasio, quae rationes non requirit, talis notitia, cui »optima ratio constet.., talis denique sensus, qui nisi ex coelesti »revelatione nasci nequeat," adeo ut »*inexpugnabilem veritatem* »*se tenere probe sibi conscii sint* [2])." Nulla igitur causa adest, cur in divinis inter pravas fluctuaremus haesitationes, quum ipse Deus spiritus sui virtute qualemcumque de voluntate sua dubitationem nobis eximere voluit. Ubi autem, quid verum sit, in dubium revocari prorsus nequit, electi omni a se in divinis dissensione veritati ipsi gravissimum damnum inferri, adeoque divinam maiestatem graviter laedi, opinentur necesse est, quam igitur acriter omni vi atque impetu impugnare et exstirpare funditus malunt, quam, ut reprobatorum miseram alioqui vitam Dei honori anteponerent, et pestiferum venenum latius serpendo aliis quoque perniciosum fieri sinerent. Hinc intelligitur, cur tam maligne solet Calvinus adversariorum os obstruere et iratissimus effervescere, simulatque doctrinae suae inexpugnabilem veritatem audacter redarguere vel etiam leviter labefactare, dissentientes doctores conabantur. Nullo modo ferre poterat eos, neque in Ecclesiae sinu, neque extra eam, et quoniam Ecclesiae potestas ipsis Ecclesiae finibus necessarie finitur, magistratum obstrinxit, ut gladii sibi commissi iure exstirparet haereticos. Sponte in oculos incurrit, quantum in ea re à Lasco ab eo dissentiat, qui penitus suae sibi imbecillitatis conscius, ingenue ultro confitebatur, errandi periculo se esse obnoxium, adeoque a se dissentientes doctores ad amica solebat invitare colloquia, ut aut iis persuaderet, aut vero sibi ab illis persuaderi pateretur [3]). Quod denique ad utriusque ad magistratum Eccle-

---

[1]) *Inst.* I. 6. 2. [2]) *Inst.* I. 6. 5.

[3]) Etenim rumori, quem divulgavit Menno Simonis, quasi gladio in haereticos animadvertendum esse censuisset à Lasco, quippe ab inimico sparso, neque umquam aliunde stabilito, fidem habere nefas esset. Cf. MENNO SIM., *Sendtbrief aen M. Microen.* Alkmaar. 1600. f. 112[a], 137[a], 140[a].

siae relationem attinet, Calvinus Iudaeorum Theocratiam in Ecclesia Christiana restituit, adeoque tantam magistratui in Ecclesiam efficientiam tribuit, ut approbari ei debeant pastores Ecclesiae omnes, seniores atque diaconi; e suo medio magistratus pro libitu suo deleget, qui senioris atque diaconi munere in Ecclesia functuri sint; lites componat de doctrinae consensu in pastorum collegio obortas; gladio denique a Deo sibi commisso animadvertat in eos, qui haeresin sive schisma in Ecclesia moliantur. In Lasci quoque Ecclesia veteris Theocratiae vestigia ubiubi deprehenduntur. Melius tamen, quam Calvinus, Ecclesiae libertati consuluit et nonnisi *circa sacra* ius civili politiae concessit. Iubet magistratum Ecclesiae necessitatibus subvenire atque prospicere, tueri Ecclesiam ac promovere eius gloriam, publicam denique honestatem religiose custodire, omnia autem, quae ipsam religionem spectant, Ecclesiae iudicio permittere. Hoc quoque nomine a Calvino distat, quod magistratui nonnisi verbi ministros approbandos esse censeat.

§ 6. *Quae inter se diversa praecedens docuit compositio, breviter resumuntur.*

Clamat res ipsa, satis magnae diversitatis indicia, quibus a se invicem seiunguntur Calvini Lascique de Ecclesia sententiae, quaeque per omnem eorum Ecclesiologiam clare ubique pellucent, e communi fonte derivanda esse, et tunc demum rite aestimari posse, si unde necessarie profluxerint duxerintque principium, paucissimis in fine disquisitionis nostrae expositum erit. Quodsi inter omnes constat, quicquid peregerint Reformatores, imprimis ex eorum adversus Ecclesiam, quam deseruerant, antithesi spectandum esse, id utrique nostro commune propositum fuisse videtur consilium, ut simplicem illam, necdum Antichristi innovationibus depravatam Ecclesiae speciem, qualis in Apostolicis scriptis delineata deprehenditur, presse in sua Ecclesia condenda imitarentur, unde sponte intelligitur, cur tam maligne uterque cultus splendidum ornatum funditus aboluerit, quippe a primaevae sub Apostolis Ecclesiae simplicitate vehementer discrepantem; cur extrema hierarchiae papalis vestigia tam infense prosecuti sint, neque grandisona Episcoporum aliorumque pontificum nomina ullo modo ferre in sua Ecclesia potuerint; cur denique in universo radicitus exstirpare soleant atque

delere, quicquid in Ecclesia Romanensium contra manifesta atque diserta novi foederis testimonia introduxisset Satanas, et in iis omnibus consentiant unanimiter, de quibus aperte veteris Ecclesiae mos et consuetudo in novi foederis libris nobis prostat. Quia tamen nonnisi nubilam turbidamque huius Ecclesiae imaginem historia nobis suppeditat, cuius ductus ac lineamenta vix ac ne vix quidem discernere queas, quae tamen in sua Ecclesia accurate exarare et definire debebant Reformatores, longe diversam mox Calvinus et à Lasco ingressi sunt viam, ubi certa Euangelii amussi destitutis proprio marte in Ecclesia constituenda progrediendum dehinc iis erat. Etenim sensit à Lasco, quae in Euangelio absque certa definitione praetermissa erant, nonnisi ex ipsius Euangelii principiis supplenda esse, neque aliunde in Christi Ecclesiam transferri posse, quae, a Christi spiritu alienissima, ipsius Ecclesiae indoli summopere officerent. Calvinus e contrario fixa rataque etiam in Ecclesiae Christiana opinatus, quaecunque in veteri Israëlitarum oeconomia divino iussu instituta erant atque ordinata, infausto omine sua iterum sancivit auctoritate pleraque, quae in Romanensium Ecclesia Iudaïsmi vestigia supererant. Dei sanctitatem potius quam divinum eius amorem premere solet; legalitatis principium et scriptae litterae auctoritatem prae libera spiritus explicatione extulit; indivulsum, quo cum Christo Ecclesia coniuncta est, nexum parum omnino curat; unice fere a parte Dei Ecclesiam spectat, tanquam institutum a Deo nobis impositum, externis potissimum notis ab aliis dignoscendum; sacris actionibus mysticam quandam tribuit virtutem; a laïcis probe distinctum ministrorum ordinem instituit, qui, Dei voluntatis in mundo organa, divina virtute ornati, ingentique in divinis potestate praediti, Ecclesiam gubernarent, ipsorum fidelium nulla fere omnino ratione in Ecclesia habita; divinam porro sub utroque foedere revelatam nobis doctrinam omnes utique Ecclesiae socios fide amplecti iussit, et, ne ignorantia obtenderetur, ipsi scripturae catechismum mox substituit, qui omnibus parabilis nullius captum superaret; in Ecclesia peculiariter ordinavit doctores, qui doctrinam excolerent; huius doctrinae praedicatores prae reliquis Ecclesiae ministris longe solet efferre; eius puritatem rigidissimo disciplinae usu salvam tuetur, et gladio armat magistratum, ut legis divinae contemptorem capite plectat; tantam in universo civili politiae in Ecclesiam tribuit efficientiam, ut, quid a Theocratia proprio

sic dictae differat eius Ecclesia, dubii revera haereamus; denique tristem quoque particularismum, quo magis sane Christianismi spiritui officit nihil, in Ecclesia sua invisibili strenue defendit, atque adeo gravissimi Iudaïsmi erroris in Ecclesiae Christiana fautor exstitit ac patronus. Quodsi reputemus in hisce omnibus ea ratione ab eo Lascum discedere, quod ipsius Euangelii propriam ac privam veluti indolem melius utique perspectam sibi habuerit, veteri foederis auctoritatem ad Christi effata ubique locorum revocet, strenue semper Christianam libertatem et acriter defenderit, legalitatis principio spiritus operationem plerumque substituerit, humanae naturae benigne in universo consuluerit et in societatis Ecclesiae notione tuenda totus semper fuerit atque assiduus; omnem porro qualencunque cuiuspiam in divinis auctoritatem respuere, prae sancta Dei ira paternum eius amorem, prae doctrinae ipsius valore virtutis praetium efferre soleat, et ab omni particularismo fuerit semper alienissimus; nullo denique ordinis discrimine a ministris socios, neque a verbi ministris presbyteros distinxerit atque diaconos; et magistratui nonnisi circa sacra ius in Ecclesiam Christianam permiserit; — si, inquam, varia haec diversitatis inter utrumque reformatorem indicia in hunc modum digesta atque disposita animo iterum iterumque volvamus, absque ulla haesitatione affirmare ausim, in Iudaïsmi, a Romanensibus mutuatis, vestigiis, quae in Calvini Ecclesia ubiubi deprehendas, radicitus contra expulit plerumque à Lasco, veram nos communem aperuisse fontem, unde omnis repetenda sit diversitas, quam inter Calvini Lascique de Ecclesia sententiam intercedere praecedens docuit disquisitio.

THESES.

1. Discrimen Calvini inter Lascique de Ecclesia sententiam in eo maxime cernitur, quod Iudaismi vestigia, quae in Romana Ecclesia supererant, ille plerumque retinuerit, hic contra funditus expellere conatus sit.

2. Quod contendit GOEBEL, (*Gesch. des Chr. Leb. in der Rhein-Westph. K.* I. 340.) superintendenturam ab à Lasco se invito institutam esse, nullo idoneo argumento nititur.

3. Erravit GOEBEL (ib. I. 339.), ubi contendit Prophetis in Ecclesia Peregr. Lond. peculiarem inter Ecclesiae ministros locum ab à Lasco esse concessum.

4. Argumenta, quibus authentia Conf. Lond. defenditur in HERINGA, *Kerk. raadg. en raadvr.* IV. 2a. 229 sq. 1843, partim falsa sunt, partim non sufficiunt.

---

5. Historia Ecclesiastica eo tantum fine excolatur, ut Dei in Ecclesia condenda consilium edocti, ipsi dehinc cum Deo coöperemus in Ecclesia propaganda, perficienda.

6. In Historia Ecclesiastica enarranda nova periodus inchoetur inde a Gregorio Magno.

---

7. Vita Nicolai papae in Libro Pontificali immerito Anastasio auctori tribuitur.

8. Anastasius Abbas et Anastasius Cardinalis, cur a se invicem distinguantur, nulla idonea causa adduci potest.

9. Legati, quos ad Nicolaum misit Photius, non a°. 859, sed a°. 861 Romam venerunt.

10. Inter eos, qui serie Decret. Ps.-Isidor. proclamati sunt auctores, nemo plures veritatis numeros explet, quam Ebbo Remensis.

---

11. Ecclesiae invisibilis dogma reiiciatur.

12. Spiritum sctum personam esse immerito hodie a plerisque negatur.

---

13. Vacatio militiae Ecclesiae ministris concedenda non est.

14. Iniuria Ecclesiae ministris aditum ad conventus politicos praeclusit lex.

15. Ne iudices in Ecclesia sedeant viri legislationis Ecclesiasticae prorsus imperiti, in examine pro gradus Candidatus ministerii legum Ecclesiae nostrae peritia in Theologiae candidatis requiratur.

16. Immerito lex Ecclesiastica ministerii candidatos a sacramentorum administratione arcet.

17. In »Reglement op de vacaturen" delendus est art. 55.

---

18. In Psalmo XVII. 13—15 animarum resurrectionis mentio fit.

19. Ibidem vs. 14. מְמִתִים־יָדְךָ legatur מִמְּתְקוֹמְמֶיךָ.

20. Ierem. VI. 7. pro בּוֹר cum masorethis legatur בְּאֵר et formae הָקִיר et הֵקֵרָה deriventur a rad. קור.

---

21. Vocabulum θάνατος in Ro. V. 12. de morte physica intelligi nequit.

22. Vocabula ὑπὲρ γὰρ ... ἀποθανεῖν ib. v. 7. plausibilem interpretationem resusant.

23. Matthaeum Apostolum portitorem fuisse ne statuamus, critica narrationum Euangelicarum comparatio vetat.

24. Mc. X. 43 et 44. lectio ἔςαι antiquior est, quam lectio ἔςω in loco parall. Mtth. XX. 26, 27. Vocabulum dubiae significationis apud Marcum languide admodum interpretatus est Euang. primi auctor.

25. 1 Io. III. 20. pro rec. lect. ὅτι ἐάν lege ὅ τι ἄν.

26. 1 Io. V. 7, 8. non tantum text. rec. verba ἐν τῷ οὐρανῷ — ἐν τῇ γῇ testium auctoritate omittenda sunt, sed etiam verba, quae restant, ὅτι τρεῖς — ἕν εἰσιν, tametsi codd. commendata, vetus glossema redolent. Coniungantur vs. 6 et 9.